AVSPICIIS
SERENISSIMI PRINCIPIS REGI
DOMINI
FRIEDERICI AVGVSTI
DE
FANATICORVM
PALINODIA

DISSERTATIONE HISTORICA
PRAESIDE
M. IOANNE HERMANNO
von ELSWICH
ORD. PHILOS. ASS. ET S. THEOL. CAND.
EXPONET
RESPONDENS AVCTOR
IO. BARTHOLDVS NIEMEIERVS
LIEBENBVRGO-HILDESIENSIS.
PHILOS. ET S. S. THEOL. STVD.
HABEBITVR
IN AVDITORIO MAIORI
d. XV. SEPT. cIↃ IↃCCXIV.

VITEMBERGAE,
LITERIS IO. GODOFREDI MEYERI.

Coll. diss. A
29, 60

a. XXIX. 60.

Sächs. Landes-Bibl.

FRIEDERICI AVGVSTI
DE
BANNALICORVM
PALINODIA
PRAESIDE
M. IOANNE HERMANNO
IO. BARTHOLDVS NIEMEIERVS
IN AVDITORIO MAIORI

DE PALINODIA FANATICORVM SCHEDIASMA.

§. I.

STudio veritatis homini nihil debet esse prius, nihil posterius. Ideo enim, quae Numinis est benignitas, eam mens accepit facultatem, quae veritati, ex rebus eruendae, sua inservire praestantia, potest. Sane quotquot Scepticismo indulgent, aut, veritate susque deque habita, errores sectantur, illi mentis bonitatem, vel ignorare penitus, vel studio supprimere, censendi sunt. Nam quamvis negare nolim, multis intellectum obnoxium esse vitiis, quae eundem, veritati inveniendae intentum, morantur, aut in praecipitia abducunt, ita tamen ille se habet, ut in melius mutari, & emendationis, quantum satis est, consequi possit. Qua, vt ego arbitror, ratione, contrarias inter Cartesianorum & Fanaticorum, quibus & Poiretus adstipulatur, sententias, medium tenemus, quod nisi presse teneatur, vel in nimiam confidentiam, vel diffidentiam proni ruimus, quarum utraque quantum veritati inveniendae damnum afferat, & detrimentum, dici profecto nequit.

§. II. Quae si ab uno quovis, pro eo, ac par est, observarentur, minus foret in divinis, humanisque, scientiis errorum. Nemo in sequiorem acciperet partem, si meliora

ab aliis edoceretur. Potius in beneficii id poneret loco, & gratae mentis significatione meliora edocentem exciperet. Atque ita finis poneretur litibus, quae Ecclesiam vastant, & literis, quod suo iam tempore agnovit Maturinus Simonius, interitum, tantum non omnem, minitantur. Sed talia vix sperandа sunt ab hominibus, quorum maxima pars sui ipsius cognitione, quam Pythagoras, Plato, alii, non immerito, a quovis sapientiae studioso, requirunt, destituitur, summoque, & penitus insuperabili, sui ipsius amore, & *Φιλαυτία* laborant.

§. III. Interim tamen non desunt alii, erectiore indole praediti, qui humanae gnari conditionis, suos facile, quos passi fuerunt, manes agnoscunt, erroresque, candida, ingenuaque retractatione emendant. Atque hi, nemo negat, omnium digni sunt laude, qua illi semetipsos privant, qui semel, iterumque, de errore moniti, in eodem contumaciter persistunt, suam pluris facientes existimationem, quam divinam, cuius nos omnes sectatores esse oportet, veritatem.

§. IV. Raritas horum exemplorum tanta est, quanta communiter praestantium solet esse ingeniorum. Hinc digna sunt visa viris, praestantissimis, nostraque laude maioribus, in quibus colligendis suam exercerent diligentiam. Testor Neumannum, Feustkingium, &, qui hodieque magna cum nominis celebritate iura profitetur, Lyserum, quorum primus Patrum, alter Theologorum nostratium, ultimus ICtorum, Retractationes, & Palinodias consignarunt. Sciebant namque viri, ista collectione non modo animos ad imitationem accendi, sed & veritatis vim & efficaciam, mirandum in modum, comprobari.

§. V. Posset opera faciliori spicilegium aliquod post messem institui. Neque in eo forsan aliquid daretur, quod reprehendi iure posset. Sed malo aliis gloriam illam relinquere, quam ipse aliorum inventis, pro aevi nostri genio, aliquid addere. Commentabor nunc de *FANATICIS RESIPISCENTIBVS*, & ita commentabor, ut ea, quae huc pertinent, stilo tantum historico persequar. Occasionem hoc pertractandi argumentum Palinodia dedit, quam, aliquo abhinc tempore, famosa ex Fanaticis foemina, Eva Butleria, Altonaviae instituisse dicitur.

§. VI.

§. VI. Digna sunt horum hominum exempla, quae commemorentur. Ea namque animo sedet sententia, tum demum retractationes aliquam observationem mereri, si, qui abiicitur error, ita comparatus sit, ut cum aliqua ἐνεργείᾳ in animos sese insinuet, &, semel receptus, altius haereat. At nemo facile negaverit, ad talium errorum classem istos speciatim referendo esse, quos Fanatici fovent, & omni, qva possunt, contentione, propugnatum eunt. Quanta enim ἐνεργείᾳ polleant, id suo exemplo, viri, cetera eruditissimi, testatum faciunt, quibus fanaticas imposuisse sententias, Historia proloquitur. Praetensis Priscae & Maximillae revelationibus, ita deceptus est, meritissimus ceteroquin de Ecclesia, Tertullianus, ut, relicto rectius sentientium coetu, ad Montanistas defecerit. Nam quod Georgius Ambianus, Capucinus, illam Tertulliani defectionem inficietur, in eo, pluris mihi suo, quo in Tertullianum fertur, affectui, quam fidei historicae, tribuisse visus est. Pontificii huic iungerent Melanchthonem, quem ita cum Carolostadio in transversa abreptum clamitant, ut, abiectis literarum, quas tantoper e adamabat, studiis, in pistrino artem pistoriam meditaretur. Ita fabularum in Lutheranos architectus, & quasi promus condus, Laurentius Surius, Apostata Lubecensis, in Commentar. Brevi Rer. in orbe gest. ad An. M DC XXII. p. m. 115. sq. ex quo calumniam, & crambem recoxerunt, Nicolaus Serarius, Florimundus Raemundus, Ludovicus Cresollius, & post alios, nuperrime Ludovicus Maimburgius. Sed neminem, arbitror, fugiet, quantis consueuerint istarum partium homines, conuitiis onerare viros, quorum in emendanda religionis castitate insignis fuit opera. Lutherum quippe eodem conuitii genere affi iunt. Quid? quod Surius disertis contendat verbis, ex Luthero Carolostadium, & Melanchthonem, *suam praeclaram* hausisse *doctrinam*. Mi ri homines, & verborum Lutheri minus candidi interpretes. Num enim is censendus est, omnem Philosophiam, & artes liberaliores, contemptim habere, qui nimium saltem earundem studium, & honorem, aut certam modo, eandemque vitiosam, quorundam philosophandi rationem proscribit? Ita dudum. Patres interpretatus est Iustus Lipsius, in Manud. ad Phil. Stoic

Stoic. L. I. Diff. III. qui ſubinde verbis aſperioribus in Philoſophiam invecti ſunt, magno alioquin in pretio habitam. Non eſt ovum ovo magis ſimile, quam haec Patrum dicta dictis Lutheri. Loquitur nempe ille, non de iuſto, ſed nimio pretio, non de vero uſu, ſed de abuſu, potiſſimum de tricis, ineptiisque, quibus Philoſophiam oppleverant iſtis temporibus Scholaſtici. De his quid ſentiendum, verbis exponam Sebaſtiani Foxii Marzilli, hominis certe non Lutherani, qui, dum in Libro, de Philoſophici ſtudii Ratione, veram philoſophandi rationem Franciscum Fratrem edoceret, *barbaros illos, & immanes Sophiſtas, qui pro Dialectica vera ſummulas, ut ipſi vocant, & Terminos, portentaque alia librorum horribilia, quosque magno Dei beneficio ubique a Doctis omnibus pridem exploſos cernebat, ne dignos quidem iudicabat, qui hic nominarentur.* Haec quaeſo legant, & ſemel iterumque, relegant. Quae ſi Lutherus ſcripſiſſet, non foret maior Luthero, literarum & Philoſophiae, hoſtis. Taceo plura, quae hic dici poſſent, & paſſim a noſtratibus, nec non Gvil. Saldeno, Theologo Reformato, in Lutheri defenſionem, allata ſunt. Mendacium ergo ſapit, Melanchthonem, una cum Caroloſtadio, ex Lutheri ſcriptis, tanto in bonas literas odio, imbutum eſſe. Nec alio inſignienda ſunt nomine, quae de ipſomet Melanchthone, illo communi Germaniae Praeceptore, nugantur. In quibus exponendis ferias nobis fecit, Iacobus Thomaſius, qui copioſe, in confutanda hac fabella, verſatus eſt. Rectius in Melanchthonis locum ſubſtituitur Martinus Cellarius, quem a Marco Stubnero, tum quidem ſeductum fuiſſe conſtat. Huic non abſimiles ſunt hac noſtra aetate Petrus Poiretus, nec non Io. Michael Langius, quorum non obſcurum in orbe literato nomen eſt, quod variis ingenii ſibi compararunt monimentis. Verum illum neniae Virginis Bourignoniae, hunc infucata vagabundi cuiusdam hominis, qui calcaribus conficiendis operam dabat, pietas, & iactatae revelationes, ad Fanaticorum, ita pertraxerunt partes, ut is Fanaticus non immerito quibusdam ad inſaniam usque audiat, hic autem ab officio, quod in Academia Altorfina ſuſtinebat, Doctoris Theologi devolutus ſit.

§. VII. Quam tenaciter autem iſti errores animis infixi haere-

haereant, id experientia prisci, nostrique, aevi evincit. Malunt enim exilia sustinere, bonisque, & vita adeo, qua nihil habemus charius, privari, quam cum laesa veritate in gratiam redire. In istis namque exultant insigniter, & quam produnt, obfirmati in erroribus animi, contumaciam, haeroicae testimonium fidei, causaeque verae, & sanctae, interpretantur. Georg. Cassander, Opp. p. 1208. auctor est, Anabaptistas mortem vltro expetere, eademque ceteros non modo non deterreri, sed etiam animari & confirmari. Quaecunque, ad expugnandum errorem, consilia afferuntur, rident plerumque, altoque supercilio contemnunt, sibimet solis sapientes. Quid? quod saepe numero in istas cum suis sententiis angustias redigantur, ut veritati amplius obloqui nequeant, sed suam confiteri conuictionem necessum habeant. Palinodiam tamen frustra ab iisdem exspectabis. Testem sisto famosum Chiliastam Seidenbecherum. Satis ergo habuit causae Erasmus Alberus, quamobrem ita de Anabaptistis scriberet: *Drumb schreibe ich nicht wieder der Wiedertäuffer Greuel, der Hoffnung dass sie sich werden bekehren, sondern um derjenigen Willen, die sich noch nicht haben lassen verführen, und die unsern zu stärcken &c.* Et iterum: *Wenn die Wiedertäuffer hören könten, und drauff merckten, wie man ihre Greuel wiederlegt, so were ihnen zu helffen, aber sie sind so muthwillig und verstockt wie die Juden, dass sie alles verspotten und verachten, was man ihnen sagt.* Haec Alberus, Theologus gravissimus, in quibus simul mores reliquorum Fanaticorum depinguntur. Nam si unum noveris, omnes noveris.

§. VIII. At enim repetendae erunt paullo altius eius rei rationes, quas mihi deprehendisse videor, partim in Fanaticismi Professoribus, partim in indole Fanaticorum, partim in Fanaticismo ipso. Illi mediis utuntur, & Moralibus, & Physicis, quibus homines suos faciunt, suisque conciliant partibus. Ad Moralia refero pietatem, quam simulant. Nam cum pietas omnibus hominibus ab ipsa natura commendata est, dici profecto nequit, quantopere per eandem animi humani capiantur. Et ausim affirmare, ex praeiudiciorum, quae nominant, genere, illud efficacissimum esse, quod a pietatis specie sumitur. Hominem

enim pium existimare solemus maiori Dei familiaritate uti, qua hominibus in peccata, & flagitia quaecunque, effusis, carendum est. Hunc credimus nihil praecipitanter, & affectibus abreptum, statuere, sed omnia meditate, conscientia duce, scribere aut loqui. Qua pietatis specie postqvam animos occuparunt, tum pergunt eosdem contemptu aliorum imbuere. Hos tanquam impios, πνεῦμα μὴ ἔχοντας, traducunt, qui, procul omni illuminatione, rationis tantum secuti ductum, nihil, praeterquam quod carnem sapit, intelligunt. Quibus tum artibus facile efficiunt, ut doctorum reliquorum verba ne quidem audire, nedum ad animum admittere, miseri sustineant. Declarant id superiorum temporum historiae, idemque hac nostra aetate Doctores, quibus cum ista hominum colluvie decertandum est, plus simplici vice, experiuntur. Calvinus in Epist. p.m. 62. ad Farellum, de Anabaptista quodam, suo impulsu capto, haec perscribit: *Expertus es quale sit hominum genus. Ego vero tam barbaram atrocitatem hactenus in nullo videram. Cum ego humaniter pro linguae meae more eum compellarem, nunquam aliter dignatus est mecum loqui, quam si cum cane sibi negotium fuisset.* Sed hic nondum furor quiescit. Pergunt multa de seductorum commemorare felicitate, quod ea nunc videant, quae tot, tantique, Doctores ignorent. Inde fastum animo concipiunt, & in vanam, de sui ipsius dignitate, & praestantia, persuasionem coniiciuntur. Cumque ita fatis superque homines fascinarunt, adiurationibus, dirisque, eos adigunt, ne desertis, quas complexi sunt, partibus, aliis sese in disciplinam tradant. Vnicum saltem in dictorum confirmationem, exemplum afferam, quod nobis sistit Io. Henr. Ottius, in Annalib. Anabaptisticis p. 283. Fœmina quaedam Magdale Bachmannia, etsi ad qualemcunque errorum Anabaptisticorum agnitionem perduceretur, eo tamen adduci non potuit, ut coetui Reformatorum interesset. Cuius rei rationem Pastori illius loci hanc dabat: *Sie habe* (ut verbis utar, quae ex diario, secum communicato, Ottius adducit) *sich so hoch und theuer bey denen Täuffern verloben müssen, dass sie ja fürchten müste, Sie hätte hier und dort kein Glück, so sie in unsere Predigen gienge. Hat derwegen mit viel Beiben und Weinen erlanget, dass man sie (den 21. Octobr.)*

der

der Predigen erlaſſen, jedoch ſolte ſie einzogen ſeyn, ihrer armen Hauſshaltung beſſer abwarten, und obliegen, damit ſich der Mann und die Kinder nicht weiter zu beklagen habind. De Phyſicis non eſt, quod pluribus agam. Notum namque ſatis ſuperque eſt, ἐκστάσεις iſtas atque tremores, quos Quackeri patiuntur, ope pulveris cuiusdam effici, de quo Laſſenius, & alii, qui res Quakerorum perſequuntur, copioſius ſcripſerunt. Et quis ignorat, eandem fabulam Quedlinburgi cum Magdalena Schulzia actam eſſe, quae, potione a Sproegelio accepta, ad inſtar alicuius Pythiae furere, & divina pandere myſteria, coepit. vid. Feuſtkingius, ὁ μανα ρίτης, in Gyn. Fanat. p. 585.

§. IX. Si perpendamus indolem Fanaticorum, pleriique temperamenti eſſe videntur Melancholici. Qui enim iſto gaudent temperamento, illi plerumque ſunt triſtes, ſuperſtitioni indulgent, inque raptus ecſtaticos, nimium quantum, propendent. Cum autem, tantum non omne, quod in ſe deprehendunt, admiratione proſequantur, facile ſuas meditationes pro divinis habent, & venditant. Nullus, opinor, erit, qui in dubium hoc vocaverit. Quotus enim quisque eſt, qui non in Enthuſiasmi, a nonnullis affectati, & praetenſi, expoſitione, Melancholiae mentionem faciat. Placent verba Io. Lockii, cuius ceteroquin de ratione, & revelatione, hypotheſes meas haud facio. *Hinc*, inquit L. IV. de Intell. Hum. Cap XIX. §. 5. *videre eſt in omni aevo, homines, qui hypocondriaci ſimul, & nimia ſuperſtitione imbuti ſunt, vel qui propter nimiam de ſemetipſo opinionem putant, ſe cum Deo maiorem habere familiaritatem, quam permiſſa eſt aliis, ſibimet perſuadere ſe in ſummi Numinis congreſſum immediatum & colloquium ſaepius venire.* Quid multa? ipſe Socrates & Plato, Fanaticorum Parentes, Melancholicum habuere temperamentum, ſi fides habenda Ariſtoteli, Problem. Sect. XXX. Ex quo forſan fonte famoſus repetendus eſt Socratis genius, de quo Ficinus, Dacerius, Dalenius, Chauvinus, Simonius, Vayerus contrariis ſententiis pugnant. Quod ſi igitur ea Fanatici ſint indole, quid mirum tanta eos pertinacia in opinionibus ſuis perſiſtere? Hoc namque proprium eſt Melancholicorum, ut aegre aliquid dimittant, quod ſemel animo complexi ſunt.

§. X.

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348726430/9 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

§. X. Quod Fanaticiſmum ipſum concernit, is *primo* ita comparatus eſt, ut rationem, illud inveniendae, atque eruendae, veritatis inſtrumentum, divinitus conceſſum, penitus ſupprimat. Non eget id operoſiore probatione. Legantur modo, quae recentiſſime inter Lockium & Poiretum diſceptata ſunt. Suppreſſa autem ratione, nihil erit adeo ineptum, & abſurdum, quod non facile admiſeris, & grande aliquod myſterium interpretaturus ſis. Inde eſt, quod Fanaticos ea videamus facere, quae inſaniam, mentisque defectum, non obſcure, produnt. Obſervatum id eſt iam ſuo tempore Miltiadi, qui in libro, περὶ τῦ μὴ δεῖν προφήτην ἐν ἐκςάσει λαλεῖν, apud Euſebium L.V. H.E. c. XVII. non male iudicavit, pſeudo prophetam in παρεκςάσει, cuius comes ſit ἄδεια, καὶ ἀφοβία, incipere quidem ἐξ ἐκσοίᾳ ἀμαθίας, ſed deſinere tandem εἰς ἀκόσιον μανίαν ψυχῆς. Atque id ipſum eſt, quod difficilem facit diſceptationem cum iſtiusmodi homine. Nam tantum abeſt, ut rationem is, pro eo, ac par eſt, adhibeat, ut potius lumen internum unice crepans, reliqua, tanquam a ratione profecta, contemnat, ac faſtidiat. *Dein* ſi dicendum, quod res eſt, nimium quantum paſſionibus, quas vocant, praedominantibus blanditur. Crepat namque revelationes divinas, lumen aliquod internum, particulam eſſentiae divinae, ſummam perfectionem, unionem cum Deo, & transmutationem quaſi eſſentialem, promittit regnum aliquod chiliaſticum, omnem inter homines ὑπεροχὴν tollit, communionem bonorum meditatur. Quae omnia profecto ſuperbiam, & avaritiam, alunt. Nihil homine Fanatico, etſi verbis, factisque externis, humilitatem ſimulet, arrogantius, & ſuperbius. Anabaptiſta ille cuius ſupra ex Calvini Epiſtolis facta eſt mentio, *in curiam introductus, volebat primo ſyndico aſſidere; inde repulſus, caput oculosque torquendo, Propheticam maieſtatem ſimulans, tribus verbis ad rogata reſpondebat, ſi liberet, ſaepius tacebat.* Quam inſolenter Quackeri, nominatim Wilhelmus Ames, nec non Chriſtianus Pyttel, Gedani ſe geſſerint, pluribus enarrat Hartknochius, in H.P L.III. c.XI. Admiſſi namque in Senatum, recto capite ſuam agebant cauſam. Quam ipſorum ruſticitatem Chriſtophorus Wunderlichius, eiusdem ſocietatis homo, maximopere

pere improbavit. Idem in praesentia Britanniarum Regis, Caroli II. Georgius Foxius, cum sociis, ausus est, de quo Lassenius, contra Quakeros. Vnicum addo exemplum νεωκόρου cuiusdam Lauenburgensis, in Saxonia Inferiore, qui, teste A. Pfeiffero, in AntiChiliasmo, p. 153. in ea erat persuasione, regnum Chiliasticum proxime instare, velle se brevi Summum illarum regionum Praesulem, a calceis purgandis, habere. Sed non minus ad voluptatem explendam facit. Huic obtenditur mandatum divinum, quo suam excusare libidinem soliti sunt Anabaptistae, apud Alberum. Ne autem ita sanctitas, &, quam affectant, perfectio in dubium vocetur, praesto est distinctio, in hominem externum, & internum, quorum hic non afficiatur ab iis, quae ille commitat. Sic igitur, quantum satis est, alimenti passionibus praedominantibus suppeditat Fanaticismus. Quae causa est, quamobrem aegre quis ab eodem liberetur. Nam istis imperare, vix centesimo, datum est, visusque mihi semper est contra experientiam pronunciasse Cartesius, quando de Passionib. Animae P. 1. Art. L. *nullam*, putat, *tam imbecillem esse animam, quae non possit, cum bene dirigitur, acquirere potestatem, imo absolutissimum imperium in omnes suas passiones.*

§. XI. Atque ita idoneis me confeciisse rationibus arbitror, dignas esse, quae commemorentur, Fanaticorum Retractationes. Iniurius foret, & ingratus, in veritatem, qui eius admirari δύναμιν, qua ingenia, adeo ferocia, edomantur, nollet. Sunt, non diffiteor, inter eosdem, qui ad speciem tantum errores revocant, aut ad vomitum, canibus non absimiles, redeunt. Sed nec horum negligenda sunt exempla, quae prudentiam egregie iuvant, ne unicuique mox fidem habeamus. Simulant namque saepe numero emendationem, ut ex periculis, quae imminent, feliciter se emergant. Quibus depulsis, vetéres, & sub iuramenti religione, paulo ante, abiectos errores revocant. Vnde & Wigandus non immerito inter proprietates Catabaptistarum retulit, *perfidiam in revocando errorem*, in Anab. p. 454. *Revocantes*, inquit, *non servant fidem, sed mox revertentes ad suos, redeunt quoque ad vomitum.* Excitat in rei fidem Menium, cui Ottium addimus, in Annal. Anab. Quod si tamen

aliis, post factam candide Palinodiam, error iterum imponat, imbecillitas sese, & inconstantia humani prodit ingenii, cui depellendae, media nos adhibere prolapsiones alienae iubent. Quibus omnibus tandem efficitur, ut mens suas vires penitius exploret, & in dies magis magisque munitior fiat.

§. XII. Subiicienda nunc sunt exempla, quae iuxta seriem literarum, bona fide, enarrabo. Primo loco prodeant *ANONYMI* quidam, ex *ANABAPTISTARVM* grege. Secta est, quae sub initium, emendatae per Lutherum Religionis, cepit, & per turbas, quas dedit, non leviter eius cursum, & progressionem, sufflaminavit. Placita, sententiasque, quas tenet, haurias, licet, ex Menio, Bulengero, Wigando, Albero, & Ottii nominatim Annalibus Anabaptisticis, in quibus diligenter, de Anabaptistis generatim, & speciatim Helveticis, actum est. Ex Lutheri scriptis hanc haeresin conflatam esse, Pontificiorum est criminatio, quam, semel, iterumque, depulsam, revocare non est veritus, paucis abhinc annis, Franciscus Catrou, homo Gallus, e Societate Iesu, in libro Gallice conscripto: *Histoire du Fanatisme dans la Religion Protestante.* Nolo operosiorem subiungere confutationem, quam cum laude alii praestiterunt. Et res omnis in vado est, si modo discrimen faciamus inter occasionem, quam quis studio aliis suppeditat, & quam praeposteri sibi nonnunquam maleferiati sumunt. Rosis suum constat pretium, & honos, quamvis succum inde araneae excipiant venenatum. Sufficit Lutherum, &, qui ab eius stabant partibus, Melanchthonem, alios, ore, scriptoque, isti sese opposuisse αἱρέσει, nihilque intermisisse eorum, quibus homines saniori restitui doctrinae poterant. Nec frustra semper, quem insumebant, labor fuit. A. cIↃ Ↄ XXXV. in pago Euterdorff minori, capti sunt a quaestore Leuchtenburgensi, molitor cum uxore, & filia, & quatuordecim peregrini alii, qui ex divino, quem iactabant, instinctu, in illum tractum concesserant. Hi fratrum sese, & sororum, appellabant nomine, ad imitationem, haud dubie, vetustioris Ecclesiae, in qua ille mos viguit, ut fideles sese fratres, & sorores, dicerent. Ex quo tamen Gentiles occasionem sumserunt, nescio quas, libidines innocentibus Christianis improperandi.

Scri-

Scripturam, profitebantur, a Spiritu S. se cordibus inscriptam tenere. Homines, ad adultiorem profectos aetatem, novo baptismate initiabant, tribus tantum aquae guttulis caput aspergendo. Ad calamitates, imo mortem ipsam, sustinendam, ad exemplum Liberatoris, cum quo paria mereri volebant, promptos sese, atque paratos, offerebant. Effectum tamen est studio, atque industria D. Casparis Crucigeri, Philippi Melanchthonis, nec non Antonii Musae, Symmistae Ienensis, ut plerique horum, abiecto errore, ad Ecclesiae gremium reducerentur. Auctor est Vitus Lud Seckendorffius, in Hist. Luth. L. III. § XLI. in Add. p. 115. Sed nec in aliis regionibus defuere ex isto hominum genere, qvi ad meliorem mentem redierunt. Quale exemplum Georg. Cassander commemorat, in Epist. ad Adolphum Baers, nec non Cornelium Gvalterum, perscriptis. Quae ambae leguntur, in Opp iunctim A. clc Io c XVI. editis, p. 1203. & 1207 Res ita se habet. Capti erant Anabaptistae plures sexaginta in vinea quadam, prope Coloniam, in qua nocturno tempore, ad concionem audiendam, confluxerant. Ex his, ut paucis dicam, tres traditi sunt illi, qui, pro more, Comitis ibidem vices tenebat. Cum horum uno, cui nomen Matthias, quique Doctoris, & Βαπτ. 58, iam a longo tempore, officio defungebatur, volente ita, & iubente Colonienſium Archiepiscopo, colloqui de Religione Cassander debuit. Quod colloquium Coloniae XII. Iulii A. clo Io LXV. habitum, extat in Cassandri Opp p. 1134. seqq. At enim tantum abfuit, ut per colloquium, semel, iterumque, repetitum, pertinacia hominis sit expugnata, ut non veritus sit, morte etiam suum obsignare errorem. Et talem pariter secundus sese praebuit. Tertius vero, patria Bruxellensis, qui disceptationi, cum Matthia habitae, interfuit, aliquantum resipuit, & quo minus pertinax videretur, mitissimis, quae sunt Cassandri verba, conditionibus dimissus est.

§. XIII. Cum recentiori aetate, tantum non ubique, foeminae Enthusiastico corriperentur Spiritu, inter istas non postrema esse voluit *CHRISTINA REGINA BADERIA*, Antistitis Simmersteldensis, in Ducatu Wurtenbergico, filia. Incepit ea iam ab anno 1693. qui erat aetatis decimus quintus, multas, in-

ſolitasque viſiones, colloquia Angelica, ſomnia, & de futuris revelationes iactare. Res mira quibusdam viſa eſt, dum iſtis narrabatur circumſtantiis, quae facile extraordinarii quid, & ſupernaturalis, ſignificare poterant. Tandem patuerunt fraudes, Io. Reinhardo Hedingero, laudabilem hic praeſtante operam. Is namque comminationibus eo fatuam commovit virginem, ut ſponte praeſtigias, &, quibus uſa erat, artes confiteretur. Dandae erant Magiſtratui poenae, tergumque virgis lacerandum. Hae tamen, quae Principis erat clementia, ita temperatae ſunt, ut, facta publica, in totius Eccleſiae conſpectu, deprecatione, carceri per tres annos manciparetur. Sermonem, de Viſionibus, Sacrum Hedingerus, hac occaſione, habuit, qui formis expreſſus publicis, hunc in fronte titulum gerit: *Larva mendaci lucis angelo detracta.* Reperitur in Panth. Fanat. P. I. p. 152. & *actum*, quem nominant, *poenitentialem* ſubiunctum habet. Factum id eſt A. cIↃ IↃ c XCIX.

§. XIV. Supra Anabaptiſtas quosdam reſipiſcentes, ſed ἀνωνύμους adduximus. His nunc ſubiungimus alium eiusdem farinae hominem, cui nomen *HERMANNVS* erat *BASTIANVS.* Fuit ille ex Anabaptiſtis, qui Haſſiam turbabant. Nam cum in iſtis regionibus mitius haberentur Anabaptiſtae, non poterat non eorum numerus inſigniter ibi augeri. Erat enim Philippus in ea opinione, non eſſe quempiam, ob errores, in ſaniorem impingentes doctrinam, capite plectendum. Sufficere carceres, relegationem, poenasque alias. Quae cum decretis, ſtatutisque, imperii, in Comitiis Spirenſibus factis, repugnarent, ipſe aliquando Philippus, in Anabaptiſmi, quem dicunt, ſuſpicionem venit, cuius ab Henrico Brunovicenſi, cum quo internecinas fovebat ſimultates, publice inſimulatus eſt. Quas criminationes, etſi graviter retuderit Philippus, non tamen ipſis Proteſtantibus ſuam erga Anabaptiſtas lenitatem approbare potuit. Multa ſunt eam in rem Saxonem inter, atque Haſſum, diſceptata, duravitque ea diſceptatio, per aliquot annos. Quid? quod ne quidem in Colloquio A. cIↃ IↃ XLV. inter Iuſtum Menium, & Antiſtitem quendam Hirsfeldenſem, de hac quaeſtione habito, ſopiri potuerit. De quibus videatur Seckendorfius,

in

in Hist. Luther. L. III §. XLII. in Add. p 115. Qua sua lenitate ita sibi Anabaptistas conciliavit Philippus, ut Leydensis, facta, inter Duces suos, regionum, arcium & oppidorum, distributione, *soli Landgravio parendum dictitaret, quod spes esset, suae ipsum religioni accessurum*, ap. Wigand. de Anab. p. 350. Interim omnem curam, & cogitationem, eo contulit Philippus, ut errantes corrigerentur. Non tantum enim suos iussit Theologos, ut, quanto fieri poterat, studio illorum promotum irent emendationem, sed & A. cIↃ IↃ XXXIII. Argentorato Bucerum accersivit, ut cum Anabaptistis aliquot captivis, quos inter Hermannus erat Bastianus, de rebus, ad religionem pertinentibus, differeret. Bucerum autem ideo, credo, advocavit, quia eundem mitissimi virum ingenii esse sciebat. Habitum est colloquium, praesentibus viris quibusdam eruditis, nec non Senatu Marpurgensi. Bastianus, ne de aliis nunc dicam, talia sustinebat asserere. Non posse quidem Ecclesiam nostram falsam dici, non tamen excommunicationem esse negligendam. Nullibi scriptum, infideles gladio plecti debere, potius esse amandos vel inimicos, se paedobaptismum admittere nondum posse, nolle tamen damnare, &c. Ad quae, etsi tantum, quantum satis erat, responsi a Bucero acciperet, loco tamen moveri non potuit. Sequenti vero die solus cum Bucero colloquebatur, inque Ecclesiae sinum redibat. Quae ex Tabulario Casselano refert Io. Heinr. Ottius, in Ann. Anab. p. 92.

§. XV. Notum est Davidis Georgii, Enthusiastarum & Libertinorum Antesignani, nomen. De cuius Historia, & dogmatibus, non est, quod pluribus exponam. Approbarunt hic suam Ecclesiae industriam, ex vetustioribus, Erasmus Alberus, (qui hominem vivis coloribus depinxit, in libro, sub titulo, Halcyon Kochab) Stolterfotus, nec non Fridericus Iessenius, quorum ultimus diligentiam, non inutilem, posuit in detegendis Davidis Georgii blasphemiis, cum notum nemini non sit, latitare hinc, & illinc, in Holsatia, qui cum eodem faciunt. Magna, dum in vivis erat, apud suos fuit autoritate, verum se, secundum spiritum, professus Davidem, qui mundum liberaturus sit. Reperti tamen sunt, Davide adhuc vivo, qui eius

fuſpectas habuere res, & ſententias. Totam rem enarravit Surius, in Comm. ad A. cIↃ IↃ LVI. p. 491. quem hic nihil finxiſſe, aut ex falſis rumoribus, erat enim, iudice ipſomet Langletio, nimis credulus, ſcripſiſſe, aliorum facile perſuadent teſtimonia, idem confirmantia. *Ex ipſis*, inquit, *familiaribus eius, de eius doctrina quidam dubitare coeperunt. Ex iis facile Principem ad ſe vocat, cui alioquin plurimum confideret. Nec ſine ſtomacho ex illis percontatur, cur de re certiſſima dubitare voluerit; an non credat ſe verum eſſe illum Davidem a Deo miſſum, ut his extremis temporibus regnum Iſraeliticum reſtituat, Iacobique tabernaculum inſtauret? Sed poſt multam diſputationem ille manſit in ſententia, & a Davide illo fertur abalienatus, monuiſſe etiam permultos, ut a perniciosiſſima ſecta diſcederent.* Plures circumſtantias affert Wigandus, de Anab. p. 545. Vterque virum non nominat, qui forſan nemo alius fuit, quam *NICOLAVS BLESDIKIVS.* Nam hunc iam ante Davidis mortem indigne eius tuliſſe ſententias, auctor eſt Arnoldus, in H E. & H. P. II. L. XVI. c. XXI. p. 287. Non tamen exiſtimo ſeceſſionem illum, quod Arnoldus profitetur, iamdum feciſſe, ſi quidem eius nomen inter reliquos aſſeclas, qui poſt Danielis obitum, in carcerem miſſi ſunt, legitur, apud Ottium, in Annal. p. 132. Eſt autem eo notabilior huius viri retractatio, quo propiore cognatione Davidem attingebat. Habebat namque eius filiam in matrimonio. Neque tantum ingenue circumventum ſe eſſe agnovit, ſed libro etiam peculiari, quem falſo alii, apud Arnoldum, pro ſuppoſititio habent, ſoceri hiſtoriam complexus eſt. Si Seileri, Arnoldo laudati, narrationibus habenda fides, Blesdickius de hinc in Palatinatu miniſtrum Eccleſiae reformatum egit.

§. XVI. *MICHAEL BRELLERVS*, gente Francus, arte medicus, fuit. Hunc minime omnium Fanaticis annumeramus, ob Apologiam, quam pro Io. Arndtio, eiusque, de Vero Chriſtianiſmo, libris, dedit. Ecquis enim adeo rerum rudis eſt Theologicarum, qui ignoret, Varenios, Dorſchaeos, aliosque, in multis Arndtii excuſaſſe libros, & ſaniori doctrinae conformiter interpretatos eſſe. Io. Affelmannus, Varenio in Conſid. Admon. Roſtii p. 3. teſte, ita cenſuit: *Phraſes B. Arndi partim probo, partim*

tim excuſo, & *pia explicatione mollio.* Taceo, quae nuper heic locorum, candore, quo ſolet, vere Theologico, eam in rem diſſeruit, Praeceptor noſter, idemque Patronus, & Amplificator, ſumma animi religione aetatem colendus, Summe Vener. *D. D. G. WERNSDORFIVS.* Non ergo hac, ut credo, Apologia Fanaticiſmi ſibi contraxit notam. Id ſaltem non caret vitio, quod Arndtii praetexens defenſionem, in miniſterium Eccleſiaſticum omne convitiorum genus evomuerit, & Weigelianiſmum, Schvvenckfeldianiſmum, & errores, Fanaticis nimium, quantum, patrocinantes, incruſtarit. Non noſtra haec eſt praeſumtio. Intueamur modo in *Myſterium iniquitatis pſeudo-evangelicae*, ab ipſo conſcriptum. Quod dum ſub cenſuram vocat, M. Iac. Werdenbergius, Antiſtes, & Prof. Hamb. idem, quod nos profeſſi ſumus, obſervavit. Ita namque cap. I. p. 21. *Ergo*, inquit, *manes Arndtii quieſcant, quos Adverſarius ſua interpretatione, ſuoque patrocinio turbare auſus eſt. Cum hoc vero mihi imposterum res erit: quia nomen Arndi & aliorum bonorum virorum in praetextum ſuae impietatis mala fide uſurpans, Eccleſias noſtras, Scholas, Academias, veramque & ſolidam eruditionem, & laudabilem iuventutis informationem, in Scholis bene conſtitutis receptam, acerbiſſime inſectatur.* Et Cap. III. p. 161. inſcripſit, de *Adverſarii noſtri Weigelianiſmo, commercio cum Roſaecrucis, Angelis, & Enthuſiaſmo.* In quibus haud aberraſſe Werdenbergium, agedum, paucis declarabimus. Per totum librum nihil aliud agit, quam ut Theologiam, in Academiis proponi ſolitam, eiusdemque Doctores, & Profeſſores, ex ſibilet & in maximum, quo poteſt, odium adducat. Eam nominat *literalem, profanam, ſpuriam, ſophiſticam, inſanam, quae coeleſtia haud ſciret.* Vnde & auctor eſt p. 99. ut quis *poſt perceptæ Theologiae ſanioris elementa, hoc eſt, poſt Catechiſmum & Confeſſionem Auguſtanam, reliquum temporis legendis Pontificiorum Libris, de vitæ ſpirituali, & Chriſtiana, inſumat. Cuius rei utilitatem ſuo ipſius exemplo confirmat.* Hi paſſim dicuntur *Centauri, Pſeudo-Evangelici, Pſeudo-Prophetae, ſpurii Theologi, nugatores, rabulae templorum, Chriſtianiſmi hoſtes, Pneumatomachi, Evangelii mangones, Hypocritae, Chriſti proditores, pſeudo literati, AntiChriſtiani, Homines ſangvine & merito Chriſti ebrii, Empectae, Iudae.* Mitto alia convitiorum plauſtra,

ſtra, inter quae & illud numerandum, quando p. 23. *Theologos noſtrates Pontificiis tam ſimiles eſſe dicit, ut nec lac lacti ſimilius eſſe poſſit.* Angelorum viſiones iactat. Profitetur namque p.104. *Dei Angelos omnibus vere internis hominibus familiariſſimos.* Hominem internum deſcribit, *quod ſit ille, qui credit, & cordis ſui fiduciam in Deo unice & penitus collocat.* Exterior ipſi vocatur, *qui edit, bibit, audit, ambulat, ſtat, laborat, & varia corporis opera edit*, p.142. Praecipuum Chriſtiani ſtudium eſſe pronunciat, *ut diſperſas animi potentias, imaginationem autem quam maxime, quaſi infantes in plateis obſervantes, in domum cordis colligamus, contrahamusque, ſicque cogamus, ut conſvefaciamus animum a rebus ſenſibilibus feriri, & ſoli Deo vacare.* p.157. & p.158. ſcribit: *non poſſe contempti miniſterii accuſari, qui ruminatione, & auditu interno externum praecipit obſignare &c.* Talem in *Myſterio Iniquitatis* ſe praeſtitit. Nec modeſtiorem ſe gerit, & ſaniorem, in *Vindiciis* eiusdem, Werdenbergio oppoſitis. Quae, procul dubio, cauſſa eſt, quamobrem reſponſione easdem dedignatus ſit. Iudicet nunc unusquisque, praeiudicatis haud faſcinatus opinionibus, num dignus ille ſit, qui inter innocentes & probos (*redlichen*) referatur. Quod facit Arnoldus in H. E. & H. P. II. L. XVII. c. VI. §. 11. p. 481. Sed hoc non miror. Erat enim eiusdem & ingenii & doctrinae, cuius ipſe eſt Arnoldus. Illud miror, ab aliis eius adſcribi nomen potuiſſe viris, *de regno Chriſti praeclare meritis.* Quo encomio tamen reliquis Arndtii Apologetis annumeratus eſt Breithauptio, in Program. Select. n. VII. p. 86. Animo namque a Miniſterio Eccleſiaſtico plane fuit alieno. Quod odiſſe proprium ſolet eſſe Fanaticorum. Et quod magis eſt, Beſoldum tantum non ubique tranſcribit, eiusque aſperiora, in Eccleſiam Lutheranam, dicta, ſua facit, quem corpore quidem, non mente, Lutheranum fuiſſe, ſcandaloſa ad Pontificios defectio declaravit. Tandem tamen in agone conſtitutus, & conſcientiae vexatus terroribus, opem implorare miniſterii debuit, quod tot convitiis, dicteriisque, proſciderat. Decumbens namque Hamburgi, aliquem ex divini verbi praeconibus, qui delictorum ſe impertiretur venia, vocari iuſſit. Acceſſit M. Nic. Staphorſtius, eidemque ad animum graviſſime revocavit Miniſterii contemptum.

Tum

Tum quidem culpam confessus, *peccatum hoc esse*, dixit, *gravitate reliqua, a se commissa, superans, spem se habere in Dei bonitate positam.* Atque sic, acta poenitentia, decessit. vid. Minister. Tripol. *in Prüf. des Geist.* Praetor. in Praef. nec non *in der Abg. Lehr- und Schutz-Schr.* P. I. c. I. § 40. p. 151.

§. XVII. Nemini, nisi omnium rerum experti, ignotum esse puto *EVAE BVTLERIAE* nomen. Non potest non unumquemque horror perfundere, qui foeminae huius, Fanaticismo penitus ebriae, actiones & dogmata perpendit. Duos habebat viros, Iustum Godofredum Winterum, nec non Georg. Appenfellerum, cum quibus ipsa Trinitatem repraesentabat. Exigebat a suis venerationem, soli Deo propriam, quam eidem, in solio cum viris sedenti, praestare tenebantur. Quotquot in hanc suscipi volebant societatem, illi commiscere sese cum hac Trinitate debebant. Dicebant enim tum unionem fieri cum Christo, si commixtio & unio fiat cum membris, in quibus ille est, quaeque caro de carne eius sunt. Hinc viri cum Eva, foeminae cum Wintero, & Appenfellero, consvescebant. Ne autem illa consvetudo speciem venereae libidinis haberet, immissis in uterum manibus, (proh pudor!) ovaria conterebant. Mitto alia, quae copiosius recensentur, in plagulis Germanice A. clo Iocc VII. editis: *Ausführl. Beschreibung des neuen Unfugs.* His ut fidem habeamus, facile persvademur mandato, quo a Comite Wirgensteinensi comparere in iudicio iussa est, quodquel F. Mayerus inseri curavit Dissertationi, de *Nova atqve abominanda Pietistarum Trinitate.* Non defuit quidem Magistratus suo officio, sed callida foemina effractis, in quae conjecta erat, vinculis, plus simplici vice, aufugit, erupit, evasit. Tandem in Holsatiam se contulit, & per aliquod temporis spatium Fridericopoli commorata est. Inde Altonaviam delata, errores suos agnoscere cepit, nostraeque inseri Ecclesiae voluit. Meditatur fidei confessionem, quae num lucem iam aspexerit, ignoro. Faxit Deus, ingenua sit, & sincera ista Palinodia. Ipsa interim Burleria, duodecimo, a morte Mariti, mense, prolem enixa est, quam dum pro legitima venditat, animum sane haud prodit, de peccatis, pro eo, ac par est, dolentem. Est quidem Medicus, cuius se quam maxime tue-

fur auctoritate. Num vero is, quod cupit, rite recteque omnibus perſvaſerit, penes alios ſit iudicium.

§. XVIII. Pergo nunc ad notiſſimum illum *ANDREAM BODENSTEINIVM, CAROLOSTADIVM* a patria vocatum, hominem, Melanchthone iudice, ferum, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi. Celebris fuit initio Wittebergae Doctor, & tanti a Luthero, cui lauream Theologicam impoſuerat, habitus, ut *Maioris*, & *Praeceptoris*, eum appellarit nomine. Maſcule etiam a Lutheri ſtetit partibus, & ore, calamoque, pro doctrinae Evangelicae veritate decertavit. Teſtor colloquium Lipſienſe, in quo per integram hebdomada, ita cum Eccio diſceptavit, ut, ſi non elocutione, pondere tamen argumentorum, ſuperior extiterit, teſte Nicolao Ambsdorffio, in literis ad Spalatinum, T. 1. Script. Luth. Altenb. p. 276. Verum ſuperbia, quae multarum haereſium eſt mater, & hunc praecipitem dedit. Dum enim famam captaret, & Luthero emendatae in melius religionis invideret gloriam, res novas moliri coepit, & de abſtruſioribus, quae forſan ne ipſe quidem ſatis intellexit, loqui. Nam a Luthero proletaria tantum, & ubivis obvia in medium adduci iactitabat. Quibus ut auctoritatem eo maiorem conciliaret, immediatas crepabat revelationes, ad quas communiter fanatica ſeſe recipere ingenia ſolent, ſi quando cauſae ſuae, & ſententiarum bonitati, diffidant. Scio equidem, male haec habere Reformatos, qui ab omni Fanaticiſmi ſuſpicione Caroloſtadium liberant, & *συρράξεως* in Eccleſia exortae, culpam, tantum non omnem, in Lutherum transferunt. Lutherum enim invidia laboraſſe, nec parem potuiſſe in Reformationis ferre negotio, clamitant. Diſcuſſerunt haec alii, iſtis ſuffulti rationibus, quibus nemo refragari poterit iure, niſi qui fidem omnem hiſtoricam in dubium vocare velit. Nec demirari ſatis poſſum, Iac. Perizonium, paucis ab hinc annis, crambem iſtam recoxiſſe, cuius Commentarii Hiſtor. Rerum per Europam maxime geſtarum ab ineunte Sec. XVI. maiorem forſan laudem, & approbationem, conſequerentur, ſi animum ubique adhibuiſſet, a partium ſtudio, pro eo, ac par erat, vacuum. Id nunc ſaltem demonſtraſſe ſufficiat, Caroloſtadium merito fana-

fanaticis accenseri. Testor commercia, quae ipsi interces-serunt cum Marco Stubnero, Storchio, Cellario, nec non Munzero. Ipse Voetius, in Disp. Sel. P. II. p. 1137. largitur, *nimiam & imprudentem cum Anabaptistis quibusdam, forte tunc ipsi non satis notis, familiaritatem* habuisse Carolostadium. Testor fanaticas, quas fovit sententias. Revelationes illum iactitasse immediatas, praeter Lutherum, scribunt Mattheſius, nec non Alberus, quorum deprecari testimonia, & auctoritates Voetius haud poterit, si Lutherum *animo ob negotium sacramentarium in Carolostadium nimis concitato* fuisse, fidemque haud mereri, forsan existimet. Studia literarum reiecit. Iuramenta exigere noluit. Honores Academicos detestatus est. Quorum illud diserta verba, quae ipse, matriculae, ut vocant, Theologicae ad an. 1521. inseruit, confirmant. Hoc ex ipsius Carolostadii ore audivit Lutherus, teste eadem matricula, ad an. 1522. Vtrumque legitur in Catalogo Doctorum &c. Consiliis Wittebergensibus praemisso. Et quid plura? Sufficiant vel sola portentosa, quibus usus est, verba. Sub istis namque, portentosa non minus, dogmata occultari plerumque solent. Collegit eadem Erasmus Alberus, qui istis vixit temporibus, &, quod ipse fatetur, inter Carolostadii aliquando assecias fuit. Sunt autem sequentis tenoris: *In der Entgröbung, in der Langeweile, in der Verwunderung, in der Studirung, in der Besprechung, Indrückung Göttlicher Erkäntniſs, in der äuſsersten Gegensetzen, in der Stadt der Seelen, brünstig Erkäntniſs, brünstiger Hitze, brünstig Gedächtniſs, hitzig Gedächtniſs, hitzig Erkäntniſs, hitziglich Begier, Gestracks, mit angestreckter Lust, stracke Wahrheit, gestracke Rede, gestrackt Wort, witziglich Ermiſſen, gestrenger Ernst, ein gestreng und danckbahr Gedächtniſs. Erkäntniſs des Leibes Christi. Empfindlicher Geschmack des Leydens Christi, Gebelen, den Geist belen, bürniger Wahn, Geistgelehrter, apostelmaessig, Schrifftweisen, sieben Besprengung, gebrüfft Creutz, schrifftlicher Zusage, belüsten aufsgegossen Leben. Zufluſs Göttlicher Barmhertzigkeit. Wir sollen in der Bitterkeit unsers Lebens stehen, wenn wir der HErrn Brodt essen.* Quis non hic facile fanaticum agnoscit? Talia enim Fanaticis esse in usu patet vel ex Munzeri, ad Comites, Epistola, in qua nonnulla horum reperiuntur. Aliquando tamen visus fuit tur-

turbarum, & errorum, qualicunque poenitentia ductus. Voetius confitetur l.c. *spiritibus illum, postquam penitius eos perspexerat, renunciasse, Deique gratia prudentius postea egisse.* Verum clade rusticorum, ipsiusque Munzeri, perterritus, id fecit, siquidem probe intelligeret, non posse se aliter, quam sententiarum retractatione, potestatem consequi, in Saxoniam, ex qua proscriptus, & exterminatus erat, redeundi. Quibus motus Lutherus, Carolostadium Electori reconciliavit, & multis magnisque precibus eo rem perduxit, ut integrum ipsi esset, regiones Saxonicas repetere. Interea temporis, dum haec Lutherus meditaretur, Carolostadium, clam accersitum, in suis aedibus occultavit, donec Electorem exoraret. Neque aliquis eius rei fuit conscius, praeter M. Wolfium, Lutheri amanuensem. Quae Alberi commemoro fide. Nam apud alios illam circumstantiam adeo plene, vix memini, me legisse. Sed non praestitit Luthero animum, pro tantis beneficiis, gratum. Instituit namque literarum cum Schvvenckfeldo & Krautvvaldo, notissimis Silesiae Fanaticis, commercium, animumque a Luthero, eiusque doctrina, alienum, satis superque prodidit. Ita ex sociis cognoscitur, qui non cognoscitur ex se. Tandem vero, contra datam Luthero, ipsique Electori, fidem, clam ex Saxonia auffugit, & Tigurum primum, dein Basileam sese contulit. Vbi Pastoris munere functus, A. cIↃ IↃ XLI. obiit, non sine indignationis divinae indicio, si famae constanti, atque omnium celebratae sermonibus, aliquid tribui possit. Scio enim Boquinum iam tum in dubium vocasse, quod ipsimet Theologi Basileenses, de eius morte, ad exteros perscripserunt. Id tamen dicimus, videri Carolostadium in nonnullis remissiorem factum. Nam gradus Academicos, quos antea tantopere aversatus erat, ita probavit, ut Simonem Grynaeum ante, admittere ad professionem Theologicam noluerit, quam nomen Theologiae Doctoris assumeret. Ad quam controversiam componendam, cum Capitone, & Bucero, Basileam invitatus est Io. Sturmius, ex cuius Anti-Pappo IV. haec commemorat Melchior Adamus. Haec si observasset Io. Hornbeckius, temperasset sibi a convitiis, in B. Lutherum, & Lutheranos reliquos, in S. C. Lib. X. p. 756. Nonne

enim

enim facta Caroloſtadii ſatis loquuntur ſuperque, quantopere averſatus ſit iſtos titulos? Cur noluit amplius Doctoris, ſed vicini Andreae appellari nomine? Num forſan & hic veretur Hornbeckius, an verum ſit?

§. XIX. Meliorem Caroloſtadio ſeſe geſſit *MARTINVS CELLARIVS.* Hic a Marco Stubnero, qui cum Thoma Munzero, nec non Nicolao Storckio ſentiebat, ſeductus, poſthabitis literarum ſtudiis, antea non indiligenter Tubingae, & Wittebergae, excultis, totum ſe fanaticis adiunxit partibus. Lutherum, Wittebergam Wartburgo reducem, una cum Marco Stubnero convenit, ut colloquio, Lutherum inter & Stubnerum, habendo, intereſſet. Expoſuit Stubnerus ſua placita & ſententias. Ad quas cum Lutherus placide reſponderet, *Viderent, quid agerent, nihil eorum, quae commemoraſſent ſacris literis niti, commentaque eſſe cogitationum curioſarum, aut etiam fallacis & fraudulenti ſpiritus deliras & perniciosas ſubiectiones*, dici non poteſt, quam aegre id tulerit Cellarius. Solum namque pedibus, & propoſitam menſulam manibus percutiens, exclamare & indignari cepit, *auſum eſſe Lutherum ſuſpicari aliquid, de divino homine*, teſte Camerario, in Vit. Philippi p. 51. Nihilo igitur iſtis Lutheri monitis melior factus, eodem die, quo colloquium habitum eſt, cum ſuo Stubnero Witteberga abiit, & Kembergo literas, multis refertas execrationibus, ad Lutherum una miſit. Si Hornbeckio habenda fides, ad Boruſſos poſtmodum diſceſſit, ſcriptoque non uno Anabaptiſtarum dogmata aliis propinavit. Idem & Sculetus narrat, ad A. clɔ Iɔ XXI. ex quo forſan Hornbeckius ſua hauſit. Io. Henricus Ottius autem, in Annal. Anab. p. 15. auctor eſt, quod in Bavariam ſe receperit, ibidemque, Principis mandato, in liberam datus cuſtodiam, multa ſcripſerit. Quae ideo maiorem fidem merentur, ſiquidem anno demum clɔ Iɔ XXXI. Lignicio, quod in Sileſiis oppidum eſt non ignobile, teſte Hartknochio, in H. E. P. L. II. C. I. p. 284. Anabaptiſtae in Boruſſiam venerunt, ducibus Eccelio, nec non Taukero, cum quibus de ſumma religionis diſſerere debuit Io. Polyander, una cum Paulo Sperato. Martini Cellarii nulla fit mentio. Quod reliquum eſt, vidit quotidie ſuas magis labaſcere partes. Id me-

rito argumentum interpretatus est, vanam esse, pro qua huc dum propugnaverat, doctrinam. Mutata igitur sententia, ab Oecolampadio, quod Ortius scribit, reductus, meliora sentire cepit. Post A. clɔ Iɔ XXXVI. concessit Basileam, ibidemque, mutato, cum doctrina, nomine Latino, in Graecum, Borrhaum, se appellavit, pieque, & honeste, vixit. Verbo, ita se gessit, ut dignus haberetur, quem primum Philosophiae, dein Theologiae, docendae Basileenses admoverent. Vtrique officio cum laude praefuit, donec A. clɔ Iɔ LXIV. d. XII. Octobr. ex peste diem suum obierit. Extant Commentationes in quosdam V. T. libros ab eodem confectae. Reformati pie & orthodoxe, ita loquitur Ortius p. 142. illum decessisse scribunt. A Socinianis tamen Anti-Trinitariis annumeratur. Quod & Sandius facit, in Appendice ad Nucl. H. E. p. 85. Sed huius viri non magnopere standum est iudicio, qui non dubitavit viros, ab Arianismo alienissimos, Arianis adscribere, ut ita numerum augeret.

§. XX. *FRANCISCVS CNYPERVS*, qui minus recte in Hornbeckii S. C. p. 355. nominatur Cuperus, ex Mennonis, unde hodieque Anabaptistis Mennonitarum haeret nomen, discipulis erat. Oriebatur vero inter illos dissensio, in qua cum neuter alteri cedere vellet, eo res devenit, ut sese invicem anathematis sententia ferirent. Cnyperus interim veritatem agnovit, & anno clɔ Iɔ LIV Anabaptistarum errores, praesente Hyppolito, Frisorum Praeside, publice, solenniterque, iure iurando interposito, detestatus est. Evolvatur, praeter Hoornbeckium l. c. Ottius p. 118.

§ XXI. *IOANNES DENCKIVS* e Bavaris oriundus. Norimbergae aliquando in Schola, ad S. Sebaldi aedem, Rectoris munus obiit, unde & Norimbergensis, haud dubie, dictus. Vir fuit cetera non indoctus, nec ingenii obtusioris. Quod libri testatum faciunt, Hornbeckio iudice, non absque acumine scripti. Hinc vulgaria sapere noluit, sed in id incubuit, ut sententiis, inauditis, novisque, famam sibi conciliaret. Recenset easdem copiosius Sebastianus Franckius, eiusdem farinae homo, in Chron. Haeret. f. 159. Deum putabat non aeternum irasci, ideoque cruciatus Diabolorum, & hominum, ad inferos damnatorum,

finem

finem aliquando habituros. Hominem absque insigni difficultate legem posse implere. Quae de ἀδυναμία implendi legem dicantur, ἀπιστίαν sapere. Laborare superstitione, qui in externis rebus, Baptismo, & S. Coena, salutem quaerat. Salutem non esse alligatam Scripturae. Fidelem absque Scriptura salutem aeternam consequi posse. Verbum Dei omnium, quotquot sunt hominum cordi esse inscriptum Esse autem illud spiritum, non literam, imo Deum ipsum, absque charta, & calamo, divinis manibus cordi impressum. Id tantum ad salutem requiri, ut ei, qui in nobis est, obsequamur. Quam in rem media commendabat, mysticis tantopere laudata, Resignationem puta erga Deum, Collectionem mentis in Deum, Recessionem a creaturis omnibus, Sabbathum internum. His sententiis, scandali plenis, alios infecit, & nominatim cIↃ IↃ XXVII. Iacob. Cautium, Wormatiensis Ecclesiae ministrum, eundemque Evangelicae doctrinae addictum, cui sociam in vertendis, ex hebraico sermone, varum diviniorum oraculis, praestabat operam. Erat enim illius lingvae apprime gnarus. Ipse vero ab Oecolampadio correctus, opiniones suas abiecit, conscripta, paulo ante obitum, lingva germanica, Confessione, eademque satis prolixa Mortuus est Basileae, quo se receperat, anno 1528. vid. Hornbeck. l. c. p. 341. & Ottius in Annal. p. 43 qui libros Denckii enumerat.

§. XXII. *M. GABRIEL DIDYMVS* in valle Ioachimica natus, inter Monachos, ab Augustino nomen habentes, Wittebergae vixit. Fuit ex eorum numero, qui, Luthero in Pathmo haerente, magnas hic locorum excitarunt turbas. In negotio, de abolendo sacrificio missatico, quam importunus, & vehemens fuerit, Seckendorffius, in Hist. Luther. L. I. §. CXXX. p. 215. 216 pluribus persequitur. Postmodum Carolostadio sese, nec non *M. GEORGIO MORE*, Scholae Oppidanae Rectori adiunxit, & una cum iisdem, socia quasi opera, in literas, bonasque artes, debachatus est. Hinc Scholas reiiciebat, & ex Cathedra Ecclesiastica, peculiari sermone, adhortabatur Parentes, ne liberos amplius Praeceptoribus informandos traderent. Idem svasit pariter M. Georgius More, habita, ex fenestris Scholae, ad cives praetereuntes, eam in rem oratione. Quibus effece-

effecerunt, ut in templo aliquando pueri ad canendum defuerint, & ipse Diaconus cum custode cantitare debuerit. Vid. praefamen Theolog. Wittebergensium, ad Schelhammeri Weigeliasmum, in Conf. Witteb. T. I. p 769. & Theobaldus, contra Anab. c. III. Lutherus vero, qua erat commovendi homines dexteritate, ex Pathmo suo rediens, in ordinem facile coegit virum, eoque perduxit, ut Caroloſtadium, iuxta & errores, mitteret. Ab eodem tempore charus fuit Luthero, nec minorem cum Melanchthone familiaritatem habuit. Quod epistolae ad eundem datae, ut opinor, testificantur. Quid? quod Luthero ita sua approbarit studia, ut non dubitarit Altenburgensibus eundem commendare, purioris sibi doctrinae praeconem a Luthero expetentibus. Nec displicuit Altenburgensibus, quo minus tamen illam consequeretur provinciam, obstabant Canonici, penes quos ius erat sanctioris officii ministros in illa urbe constituendi. Post haec Torgaviam abiit, ibidemque non sine laude, per multos annos, muneri sacro, ad mortem usque, praefuit. Ap. Seckendorff. l.c L I. §. c.XXXVIII. p. 213. 214. Torgavia excurrit aliquando Bucholzium, oppidulum prope Annabergam situm, ad Matthaeum Buschium, fodinarum praefectum, & Evangelicae veritatis studiosissimum, ubi sermonem habuit de fide, & praedestinatione. Erat autem statura parva & voce exili. Quare dum ab omnibus audiri non posset, auditores omnes ex subselliis suis surrexerunt, & ad pulpitum accedentes, tanta cum attentione, auscultarunt, ut audiendo eos haud fatigatum iri crederes, si per integrum sermo duraſſet diem. Quae ex ipsius Buschii literis laudatus saepe Seckendorfius commemorat l c. p. 181. Anno cIↃ IↃ XXXV. Schmalcaldiae fuit, & iuxta alios Articulis ibidem a Luthero confectis subscripsit, in quorum P. III. Art. VIII. Fanaticismus verbis gravioribus reiicitur, & nominatim is ipse, qui tunc temporis grassabatur, & cui Didymus deditus quondam erat. Hanc mentem constanter servavit, neque, vivo Luthero, novas res molitus est. At enim, ne quid dissimulemus, post eius obitum in certamine adiaphoristico non pro eo, ac decebat, stetit, aliisque suspectior factus est. Non dubito, quin de hoc Didymo intelligenda

ligenda sint verba Matthesii, in Vita Lutheri, Serm. IV. p. 35. *Etliche* (redeunte Wittebergam Luthero) *krochen zum Creutz und bekenten ihre Verführung und Thorheit, wie wohl sie nach D. Martin Todt wieder anfingen merckliche Partickel wieder den Chor Rock, und ander ungefehrlichen Kirchen-Breuch und Ceremonien, bis in ihre Grube zu schwermen.*

§. XXIII. *IO. ENGELBRECHT*, civis Brunovicensis, la-nificiae artis peritus, coelestes revelationes, & raptus ecstaticos, iactitavit. Gloriatus namque est, se in coelos sublatum, Deum, & omnem coelestem gloriam, vidisse. Multa sibi esse revelata, quae futuris temporibus fieri debeant, accepisse se pariter mandatum poenitentiam hominibus imperandi. Quas nugas, variis scriptis propalavit, quae A. cIↃ IↃ c XCVII. Amstelodami, in lingvam conversa Batavicam, iunctim, obstetricante Petro Poireto, prodiere. Quo vero maiorem sibi conciliaret auctoritatem, Eliae simulavit personam, albaque se induit veste. Revocavit hominem ad meliorem mentem Ordo in illa Vrbe Ecclesiasticus, teste Aug. Pfeiffero, in Anti-Enth. p. 12. & 265. add. Minist. Tripol. *inder abgenöth. Lehr- und Schutz Schrifft* P. I. C. I. §. 40. p. 151. Silentio id, pro more, praetermittit Arnoldus, P. III. H. E. & H. c. XXII.

§. XXIV. *GOTTFRIED FRIEDEBORN*, Antistis Poelizensis, prope Stetinum, filius, Weigelianis addictus erat sententiis, multumque Ordini Ecclesiastico Stetinensi, per integros sex annos, facessivit negotii. Mansvetior factus, A. cIↃ IↃ c XLIII. scripto, & ore, privatim iuxta & publice, falsitatem suarum sententiarum professus est, in quas tamen, non multo post, turpiter iterum prolapsus est. Plura vid. ap. Colberg. in Christ. Plat. P. I. c. V. §. V. p. 232.

§. XXV. *GALLI FVCHS*, Anabaptista Helveticus, a D. Io. Iac. Breitingero ita est emendatus, ut in aedibus illius A. cIↃ IↃ c XVI. d. XXIX. Nov. obedientiam promiserit, factaque delictorum deprecatione, veniam a Magistratu consecutus sit. Etenim quamvis semel iterumque, ac saepius, iuberetur regione excedere, nunquam tamen, qui est illorum hominum furor, morigerum se mandatis exhibebat, sed, inscio magistratu, a quo proscriptus

erat, revertebatur. Quod omnino contemptum magistratus prae se ferebat, poenisque coercendum gravioribus erat. Multa namque cum παῤῥησίᾳ, & impudentia profitebatur, *nec mutaturum se sententiam, nec territorium illud eieraturum, tum propter liberos & uxorem, tum quia recitare ea verba amplius non posset, fiat voluntas tua.* Ita Ottius, in Ann. Anab. p. 221.

§ XXVI. *M. STEPHANVS GRVNIVS* in urbe & Ecclesia Wormatiensi, munere sacro defunctus est. Suspectus de Weigelianismo, comite Senatore primario, Giessam abire debuit, ibique cum Theologis sententias suas conferre. Factum id est, per triduum, & eo quidem cum successu, ut Grunius, Wormatiam redux, solenniter retractaret. Sed non multo post, ad vomitum rediit, magnasque dedit turbas, dum devolutus ab officio, aedibus, quas dicunt, parochialibus, cedere nollet. Totam illam Historiam literis ad Balthasarem Meisnerum, Anno clɔ Ɔ c XXIV. d. VI. Aug. datis, complexus est Balthas. Menzerus. Non ingratum erit literas Menzeri hic apponere, quas, pro suo in rem literariam affectu, benevole nobiscum communicavit, Vir omni encomio maior, Celeberrimus *Dn. D. WERNSDORFIVS.*

Salutem & Officia.

Reverende admodum, clarissime spectatissimeque Dn. D. Fautor, Compater & in Christo Frater plurimum honorande.

M. Stephanus Grunius Weigelianus turbaverat ecclesiam Wormatiensem: mittebatur ante annum ad nos Giessam, comite senatore primario, ubi instituta totius tridui collatione tantum, Deo largiente, proficiebat, ut reversus domum solenniter revocarit. Nunc, uti canis rediit ad vomitum. Removetur ab officio decreto senatus. Recusat ex aedibus parochialibus discedere, provocans ad commissionem a Caesare impetrandam. Senatus minis illis terretur. Executio suspenditur. Symmystae a nobis petunt consilium, si forte a senatu Grunius recipiatur, quid sibi agendum. Ereximus nostros amicos petentes, ne in officio suo fideliter faciendo segniter evadant. Patronorum favore fretus Grunius detrectat obedientiam praestare senatui. Multorum animi suspensi expectant causae exitum. In vicinia illa Weigeliani plures exemplo hoc successum suum

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348726430/28 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

aestimabunt, aut detrimentum. Quae sollicitudo apud me effecit, ut humiliter petierim ab Illustrissimo nostro Principe animari senatum Wormatiensem, ne curet minas Grunianas. Fortius erit incitamentum si intervenerit authoritas maxima Serenissimi Domini Electoris Saxoniae. Quo nomine scripsi ad R. & N. Dn. D Höe: de cuius pietate licet non dubitem, promptior tamen evadet. R. T. D. exitante. Quare amanter peto, ut R. T. D. hunc Christo & ipsius veritati honorem praestet, & hanc causam Dn. D. Höe diligenter commendet. Nullum dubium, si Wormatienses iusta severitate adversus Weigelianos utantur, magno id cum Ecclesiae commodo coniunctum iri, sed pluribus id petere non debeo, ad quod vestra pietas, & iuvandi ecclesiam studium Vos impellit. Honorifice totam familiam & reverenter venerandos Dominos Collegas salu-to & divinae protectioni fideliter commendo.

Dabam Marpurgi VI. Augusti
Anno XXIV.

R. T. D.
officiose Colens C.
BALTHASAR MENTZERVS.

Reverendo admodum, Clarissimo & Spectatissimo Viro, Domino BALTHASARI MEISNERO, SS. Theol. D & in inclyta Wittenbergensi Academia Professori celebratissimo, Fautori, Compatri & in Christo Fratri meo plurimum honorando.

Wittenbergae.

§. XXVII. *IACOBVS HEGGE* gente Dantiscanus, in Holsatia a Melchioris Hoffmanni stetit partibus. Instituebatur quidem A. clo Io XXIX. Flensburgi, iubente ita Serenissimo Daniarum Rege, Friderico I. colloquium, in quo sententiae horum hominum discuterentur. Sed tantum aberat, ut informationem admitteret, ut potius posthabitis omnibus admonitionibus, mallet cum Hoffmanno suo solum verrere, quam emendationem, cuius aliqualem fecerat spem, praestare. Hanc namque poenam erroribus istis decreverat Rex. Nondum tamen ex omnibus eius terris excesserat, cum, agnito errore, rectius

sentire inciperet. Hamburgi igitur Io. Bugenhagium, qui colloquium istud moderatus erat maxime, convenit, eidemque, quod res erat, confitebatur. Hic hominem semel, iterumque, repellebat, quod non ita multo ante, ad meliora monita aures obturaverat. Tandem tamen admisit, & delictorum impertitus est venia. Neque ore tantum, sed & literis, opiniones suas retractavit. Cuius retractationis, & revocationis formula legitur ap. Christ. Gvil. a Vallo, sive Walpurgerum, in libro germanice edito, Hist. Consign. P. I. Sect. II. qui p. 21. sqq. colloquii huius historiam, uti ex monimentis, fide dignis, a Bugenhagio consignata est, enarravit.

§. XXVIII. *ADOLPHVS HELD*, Antistitem quondam egit, ad D. Nicolai, in urbe Stadensi, aedem. Suspectus iam erat de sententiis Reformatorum, quas in Catechismo, & sermonibus pro concione, semel, iterumque, incrustarat. Deiectus eam ob caussam ab officio, Chiliastis adhaesit, & Eliam Praetorium, cuius A clo Ioc XLVI. Roterodami vindicias dedit, magni facere cepit. Chiliasmum vero ex dimensione templi, ab Ezechiele, & Ioanne, descripti, adstruere conatus est. Venit etiam aliquando Hamburgo Wittebergam, ibidemque cum B. D. Calovio, de Chiliasmo suo contulit, persvasus, quod ipse fatebatur, se a nemine rectius de suis dogmatibus informari posse. In quo tamen Colloquio non Heroem, ut nomen ipsius sonat, sed levis potius armaturae militem, se praestitit. Ita enim argumentis, e Scriptura petitis, se constrictum sentiebat, ut ad silentium redigeretur. Post hoc colloquium Altonaviae vixit, suosque errores agnovit, & revocavit, Calovium laudans, a quo rectiora se edoctum confessus est. Perscripsit haec ad Calovium Io. Mullerus, Antistes Hamburgensis, ex cuius literis commemorantur, in Bibl. Illustr. ad Apoc. XX. p. 1909. Arnoldus in H. E. & H. P. III. c. XIII. §. 8. p. 124. hanc Heldii retractationem, in dubium vocat, nixus cumprimis silentio adversariorum, quos Heldius habuit. Sed sufficit nobis testimonium, paullo ante allatum, & profectio, melioris informationis caussa, Wittebergam ad Calovium instituta. Arnoldus interim in hac historia non unum specimen edidit, sui, quo laborat, partium studii. Omittit nam-

que

que §. 4. Heldium proprio ausu Catechismum introduxisse, ut examina Catechetica, eademque publica, ad eius praescriptum instituerentur. Quae potestas soli competit Magistratui, cuius est de externis religionis disponere. Omittit porro iter Heldii Wittebergam, cuius Calovius meminit, ab ipso Arnoldo in hac historia excitati. Contra Theologos Vitebergenses in Heldium graviter invectos (*gewaltig auff ihn los zieben*) scribit, qui tamen grave ante in illum haud dixerunt verbum, quam intelligerent, Heldium Reformatis pro concione patrocinatum esse, & subdole illorum dogmata in Catechismo incrustasse. His namque perspectis, indignum eundem habebant, qui inter Lutheranos numerare-tur. Hoc autem reticet Arnoldus, in prima responsione Theologos Vitebergenses comiter habuisse Heldium, eiusque loquendi modos, pro charitate, in meliorem interpretatos esse partem. Reticet etiam, ob turbulentum, quo praeditus erat, ingenium officio Heldium exutum esse, dum, omni posthabita compositione, in collegas, pro concione, semper debacharetur. Haec omnia ex Consiliis Vitebergensibus haurire poterat Arnoldus, si modo partium permisisset studium.

§. XXIX. *LVDOVICVS HETZERVS*, Bavarus, primus fuit, qui Sec. XVI. in Germania Divinitatem Liberatoris in dubium vocavit. Amavit & polygamiam, & duodecim uxores in matrimonio simul habuit. De quibus vide Anonymum, in libro, Gallice conscripto: Disserrations Historiques, sur divers suiets Diss. I. Praeterea Anabaptistarum secutus est partes, & eosdem cum Denckio, cuius erat assecla, errores fovit, a Seb. Franckio enumeratos. Anno cIↃ IↃXXIX. die XXIV. Februarii, Constantiae capitali supplicio subiectus est. Hornbeckius in S.C. p. 341. narrat, illum non absque significata prioris vitae poenitentia obiisse. Idem confirmat Ottius, in Annalib. Anab. p. 50. Verum alto silentio premit Sandius, in Nucleo H.E. L III. p. 24. forsan, ne Ariani tam insigni suae ἀθεότητος promacho privemur. Neque tamen est, quod fidem denegemus viris, antea nominatis, siquidem Sebastianus Franckius diserte id confiteatur, in Chron. f. 416. Verba sunt: *Das er grosse Buss und Reu empfan, gen hat, und sich des Wegs unwürdig geachtt, der ihn zu der Wahlstadt-*

hinaus zum Schwerdt tragen ſoll, alle Aergerniſs an ſeiner Miſsethat vor ſeinem End mit ſeinem kräfftigen Worten gegen allem Volck abgeſtrickt.

§. XXX. *ANNA MARGARETHA IAHNIA*, ex mulieribus fuit vatidicis, quae Halberſtadii turbas dederunt. Sufficienter de eadem actum eſt, in Lib. qui inſcribitur: *Ausführliche Beſchreibung des Unfugs* c. VIII. & IX. ſqq. Nemo autem aegre feret, ſe ad hunc remitti librum, quem alii, iurene, an iniuria, noſtrum non eſt definire, tot errorum & mendaciorum, poſtularunt. Ipſe namque Phil. Iac. Spenerus, in Reſponſione, huic libro oppoſita c. III. §. 22. p. 184. narrationem de Anna falſitatis accuſare non potuit, indicio ſane luculento, omnia actis, quae Spenerus evolvit, eſſe conformia. Mitius tamen, quam par eſt, iudicat, dum Iahniae revelationes, quas pro divinis habere nequit, ex corrupta profectas phantaſia, arbitratur. Aliter ex Medicis pronunciat D. Frid. Hoffmannus, cui Iahnia haud viſa eſt temperamentum habere Melancholicum, aut corrupta laborare imaginatione. Res delata eſt ad Academias, & nominatim, ſpeciali Electoris mandato, ad Academiam Ienenſem, inque illa docentes Theologos, iuxta ac ICtos. Hi unanimi conſenſu reſponderunt, Iahniam ad palinodiam eſſe adigendam, aut ſi eam detrectaret, urbe pellendam. Maluit exul, atque extorris, a ſolo patrio vivere, quam nefas confiteri. Quod & factum eſt, A. cIↃ IↃc XCIV. d. XXI. Maii. Extant ea de re literae M. Petri Reinifchii, eodem anno, ad Conſtantinum Schutzium, germanice perſcriptae. Ab hoc tempore varias pervagata regiones, in famiaritatem tandem venit famoſae illius *Evae Butleriae*, cuius ſupra mentionem fecimus. Adj huius exemplum nuper reſipuit, & artis ſalutaris Doctori, in urbe Hamburgenſi, nupſit.

§. XXXI. Plus ſimplici vice iam commemoravimus Anabaptiſtas Helveticos. Ex horum quoque numero fuit *HENRICVS IEGLINVS*, de quo haec habet Ottius l. c. ad Annum cIↃ IↃc XXXVIII. p. 275. *Bonus quidem homo attamen perfectum Chriſti meritum cum ſanctificatione ſeu bonis operibus confundens, perfectionemque hominis regeniti ſtatuens, ſiſtit ſeſe examinatoribus, ſeque erudiri & meliora doceri patitur.*

§. XXXII. Si quisquam alius, sane *IO. KREMERVS*, huc referendus. Captivus ille ob Anabaptisticos errores in Arce erat Dislachon, in Comitatu Marchiae ad Rhenum sito. Accersebatur ab illustrissimo Clivensi Principe Georgius Cassander, ut cum homine colloqueretur, illumque errantem, si fieri posset, in regiam viam reduceret. *Ipse namque saepe postularat, pium aliquem & eruditum virum sibi dari, qui eum institueret, se libenter auditurum, & sanae doctrinae, sicubi per errorem lapsus* esset, auscultaturum. Audiens igitur ex quaestore, talem nunc adesse, *respondit summa animi demissione, & propemodum lacrymans, se ingentes agere gratias Principi, & aliis bonis viris, qui tanto studio salutem eius procurarent, se quoque docilem futurum, & libenter, sicubi per sacras literas erroris convinci posset, cessurum.* Id quod etiam illum praestitisse certum est. Post unum enim alterumque conflictum, non assensum modo Cassandro praebebat, sed diserte etiam profitebatur, in his rebus, de quibus secum actum esset, conscientiam suam invenire talia, in quibus acquiescere posset, velle se in posterum, doctrina, iuxta & vita, pii, & Christiani, hominis officium exprimere, ingentesque gratias agebat Cassandro, pro labore, quem in eo fideliter instituendo consumsisset. vid. Act. huius Colloquii apud Cassandr. in Opp. p. 1234.

§. XXXIII. *IO. BOCCOLDVS*, a Patria vulgo *LEYDENSIS* dictus, Monasterii, quae urbs est in Westphalis sita, Regem se fecit Anabaptistarum, typum vel praeludia daturus regni, a Christo aliquando, quae eorum erat persvasio, instituendi. Erant enim principiis chiliasticis, iisdemque crassioribus, infecti, Christique regnum, terrenum nempe & corporale, praestolabantur. Nolo nunc omnia recensere, quae Reguli huius auspiciis Monasterii acta sunt. Copiosam de iisdem narrationem habet Wigandus in Anabapt. p. 325. sqq. Hoc sufficiat dixisse. Regnum, cui aeternitatem pollicebantur, vix aliquot annos duravit, ipsomet Rege, nec non Cnipperdollingio & Krechtingio, forcipibus miserandum in modum discerptis, & in perpetuam rei memoriam, ferrea cavea, ex summa primi templi turri suspensis. Cum Rex captivus teneretur, misit Philippus, Hassorum Princeps, Antonium Corvinum, & Io. Kymaeum, Theologos praestantes, & eru-

& eruditos, qui Leydenſem ab erroribus liberarent. Habitum eſt colloquium, & diſceptatum, de Regno chiliaſtico, Magiſtratu Politico, Iuſtificatione apud Deum, Sacra Coena, Humanitate Chriſti, nec non Coniugio. Aſt re infecta abierunt, Regulo nimis inſolenter ſe gerente. Poſthaec ipſe rogavit, velint ad ſe reverti Theologi, ſe nunc mitius reſponſurum eſſe. Voti ſui damnatus, quaedam abiecit, & damnavit, alia propugnatum ivit. Fatebatur enim regnum Monaſterienſe, quod antea pro typo regni millenarii habuerat, mortuam tantum fuiſſe imaginem, & non potuiſſe non ob abuſus collabi. Magiſtratum eſſe ordinationem Dei, eidemque, ſi impius vel Turca ſit, obediendum, inique ſe etiam erga magiſtratum egiſſe, luſtificationem eſſe ex ſola fide, in Sacra Coena Chriſti corpus & ſangvinem vere adeſſe, in rebus matrimonium concernentibus praecipitanter ſe egiſſe. Interim pro regno millenario propugnabat, Baptiſmum infantum humanum inventum, & figmentum dicebat. Chriſtum ex Maria carnem aſſumſiſſe inficiabatur. Ex quibus facile perſpicere poſſumus, illum ad ſpeciem modo quaedam revocaſſe, vitae tantum conſervandae cauſa.

§. XXXIV. *PFISTERVS MEYER* Anabaptiſta, habita Bernae, A. cIↃ IↃ XXXI. d. XIX. April. diſputatione, errores ſuos miſſos fecit. Hic Wigando, de Anab. p. 448. Piſtor Maior nominatur. Diſputatio, cum homine habita, typis exſcripta proſtat, teſte Ortio l. c. p. 53.

§. XXXV. *EZECHIEL METH*, Longo-Saliſſae in Thuringia natus, Patrem habuit Nicolaum Gregorliſchium, virum de Schola iſtius oppidi, bene meritum, a cuius obitu, mutato nomine, Ezechielem Methum ſeſe vocavit. Deteſtandi ſunt, quos fovit errores, revocati ad XII. capita, & examinati, a Theophilo Haereſimacho, nec non Marco Reindica, Heinsbergenſi. Cuius utriusque ſcriptum reperitur, in Panth. Fanat. P. I. p. 65. ſqq. Re Dresdam delata, comparere in Senatu Eccleſiaſtico, ſuaeque doctrinae rationem coram reddere iuſſus eſt. Omnibus fruſtra tentatis, in carcerem coniectus eſt, ne in poſterum execrandis ſuis dogmatibus alios inficeret, quibus Elector peculiari interdicto

dicto Anno cIↃ IↃc XIV. d. XX Februarii promulgato, omnes ſuos ſubditos interdicebat. Auctor eſt Theobaldus, contra Anab. c. IX. Palinodiam ceciniſſe Methum, quam tamen ingenuam fuiſſe, ipſe non absque ratione ſubdubitat. Quod ſi vero fides habenda M. Nicolao Stengero, reſipuit tandem, morte commotus Eſaiae Stifelii, quem immortalem credidit. De hac enim certior factus, in haec dicitur erupiſſe verba: *Was ſoll ich von der geſtorbenen Unſterblichkeit halten.* Pfeifferus, in Ded Anti-Chil. § 18. nec non Colbergius, in Chriſt. Platon. P. I. c. V. §. 3. p. 227.

§ XXXVI. *MARIA von METHEN*, erat Eſaiae Stiefelii ſoror, & Ezechielis Methii, paullo ante commemorati, mater, cum quibus eosdem fovebat errores. Facta inquiſitione, Koenigſteinium captiva eſt abducta, ſed in libertatem data, opera Andreae Merkenii, Theologi Magdeburgici, ad errorum agnitionem, & retractationem, pervenit.

§. XXXVII. De *THOMAE MI'NZERI*, cuius res geſtas Sleidanus, Wigandus, Theobaldus, alii, copioſius perſecuti ſunt, Palinodia contraria leguntur iudicia. Surius ad Annum cIↃ IↃ XXV. p. 141. ex animo Munzerum doluiſſe, & errores revocaſſe, commemorat. Idem ſcribit in Hiſt. Lutheraniſmi Lud. Maimburgius. Sed ſi in eius rei inquiramus cauſas, ideo tam benigne de Munzero ſentiunt, quod S Coenam ſub una ſpecie ſumſerit, & non obſcure nomen ſuum inter Pontificios profeſſus ſit. Id diſertis verbis ad Lutherum perſcripſit Ruhelius, cuius literas Seckendorffius exhibet, in Hiſt. Luther. Poſtquam enim commemoraverat, quomodo Munzerus *in carcere ſuo, & in ipſo Satanas, ut impiis Tyrannis adularetur, non ſolum errores ſuos revocaverit, & ſacramento ſub una ſpecie uſus, fidem Romanam profeſſus, & totus Pontificius factus ſit*, haec tandem ſubiicit: *Hoc*, inquit, *etſi bonam ſpeciem habeat, veneno non caret, ut ex eo iudicabis, quod in omnibus ſe erraſſe agnovit, id eſt, quod vera etiam Evangelii dogmata recantaverit.* Quam narrationem non eſt, quod in dubium vocemus. Vixit namque Ruhelius iisdem in locis, ubi haec omnia cum Munzero geſta ſunt. Et aegre ſane mihi perſvadeo, ingenuam potuiſſe eſſe errorum deteſtationem, ſi quidem

dem de civilibus tantum interrogaretur, de doctrinae capitibus altum erat, indignante id vehementer Luthero, silentium. Testem habeo Wigandum, de Anabaptismo. p. 319. Facile ergo in eam adducor opinionem, fecisse modo Munzerum haec omnia, ut sibi Georgium Saxonem, & Comitem Mansfeldensem, quorum uterque Pontificiorum sacris adhaerebat, conciliaret, & delictorum veniam consequeretur. Hoc unicum est, quod speciem emendationis cuiusdam prae se fert. Fatebatur nempe, se maiora iusto suscepisse, & graviter in Magistratum peccasse. Scripsit etiam tres Epistolas ad Mulhusinos, in quibus ad obedientiam Magistratui praestandam, eosdem adhortatur. Literae inveniuntur T. III. Opp. Luth. fol. 138. Eadem etiam tum confessus est, cum nunc ad supplicium raperetur, quibus & admonitionem ad principes subiunxit, velint in posterum libros Regum sedulo evolvere, & subditos clementius habere. Quae unanimi consensu referunt Sleidanus, Wigandus, Theobaldus, alii Arnoldus in Hist E. & H. P. II. L. XVI. C. II. §. 14. subobscure eius rei mentionem facit, sed quae ex Rubelio adduximus, silentio praetermittit. Vnde & non immerito partium accusatus est studii a Summe Venerab. D. D. Loescherο in pec. qua Thomae Munzeri Doctrinam & facta complexus est, Differt. § XVIII. & XIX.

§. XXXVIII. *M. HERMANNVS NEVWALD*, Diaconus Regiomontanus, cum Weigelio statuit, fidelem in essentiam ipsius Christi, per metamorphosin quandam, transire, & facta unione, eademque substantiali, unum cum eodem fieri. Notarunt virum Theologi, & speciatim Abrah. Calovius, qui tunc temporis Decurionis ibidem fungebatur officio. Attulere cum ex scriptura, tum ex Libris Symbolicis, rationes idoneas, quamobrem illa sententia, tanquam falsa, & absurda, proscribi deberet. Has Hermannus admisit, suamque mentem in melius mutavit. vid. Hartknoch. in H. E. P. L. II. C VIII. §. XX. p. 580.

§. XXXIX. *VBBO PHILIPPI*, Sacerdotis Leovardiani filius, idemque non indoctus, una cum fratre Theodoro Philippi, misere a Bertholdo Bibliopego, nec non Theodoro Cnypero seductus, ad Anabaptistas defecit, novoque se tingi Baptismate

Anno

Anno cIↃ IↃ XXX. passus est. Ipse postmodum plurimos fecit discipulos, & in his Mennonem, tum Pontificiis adhuc addictum sacris, cui potestatem dedit ubique terrarum verbum praedicandi. Quod factum est, A. cIↃ IↃ XXXVI. Menno quidem demandatum sibi munus strenue obiit, varias peragrando regiones. Sed Vbbonem Philippi graviter eius rei poenituit, auctorque Mennoni fuit, ut ab inceptis desisteret. Publice palinodiam edidit, quae cum Confessione A. cIↃ IↃ LXXXIV. nec non cIↃ IↃ c IX. iunctim prodiit. Hornbeckio in Summa Contr. L. VI. p. 380. *ingenuum* hoc dicitur *rarumque apud istud hominum genus exemplum.* Quibus autem se addixerit, post palinodiam, partibus, non adeo liquet. Florimundus Raemundus, illum ad Catholicos, Hornbeckius ad Libertinos transiisse, putant. Haec interim procul omni dubio est causa, quamobrem Menno deinceps negaverit, se ab Vbbone Philippi missum esse. Mortuus est A. cIↃ IↃ LXVIII.

§. XL. *STEPHANVS PRAETORIVS*, Minister Ecclesiae Soltquellensis, variis libellis Fanaticismi sese suspectum fecit. Notatus eam ob causam est a nonnullis Theologis, nominatim Godofredo Oleario, nec non Conrado Tiburtio Rangone, qui A. cIↃ IↃ c LXXXIII. in Admonitione, Wittebergae edita, erroneas Praetorii sententias detexit, quas tum nonnulli revocabant, & in his inprimis Henricus Ammersbachius. Quorum conatus ideo notari debebant, quod talia commendarent, quae ipse Praetorius dudum improbaverat. Is enim ea, quae in scriptis suis passim Scripturae, fideique analogiae, minus conformiter docuerat, ingenue revocavit. Quod quidem negat Anonymus, qui adversus Rangonem veritatis vindicias edidit. Astres nimis clara est, quam suo etiam calculo confirmat ipse Spenerus, *in der Uebereinst.* P. I. Art. VI. §. XXX.

§. XLI. *CHRISTOPHORVS ANDREAS RASELIVS*, Ratisbonensis, & Ecclesiae Immenkuppelensis Antistes, uti se nominabat, ordinatus. Varios edidit libellos, errorum Fanaticorum plenissimos. Quos cum passim sub examen voca et Ministerium Tripolitanum, *im ausführlichen Bericht von denen neuen Propheten*, libro, solide conscripto, &, paucis abhinc annis, cum

Isagoge I.H.Feustkingii, τῶ μακαρίτᾳ, recuso, adeo male id habuit Raselium, ut scripto non uno in Ministerium illud invectus sit. In his recensendis otia nobis fecit, Io. Mollerus V. C. in Isag. ad H. L. C. P. IV. p. 585. Victus autem argumentorum adversus se allatorum pondere, palinodiam cecinit, quae Hanoviae Anno cIↃ IↃ c LIII. prodiit, & a Ministerio Tripolitano, in praefat. ad libr. *Prüfung des Geistes* Praetorii, repetita est. Addatur eiusd. Ministerii *abgenöthigte Lehr-und Schutz-Schrifft.* P.I. c. I. §. 40. p. 151. Arnoldus P. III. c. XV. §. 12. p. 145 de hac Palinodia subdubitare videtur, & Raselium cum Christophoro Roselio confundi existimat. Facilis est, largior, nominum sibi affinium, confusio. Quod exemplo non uno Homonymoscopia Molleriana, magno confecta labore, demonstrat. Video tamen Brecklingium, in Catal. Test. Verit. ap. Arnold. P IV. Sect. III. Num. XIIX. p. 763. eundem, cum quo res fuit Ministerio Tripolitano, & nominatim Theologis Hamburgensibus, *Christophorum Andream Roselium* nominare. Vna igitur, eademque, fuit persona. Venit enim Raselius aliquot annos, post editam Palinodiam, in novam Weigelianismi suspicionem ob aliquem librum, quem vero se prodiisse auctore constanter inficiatus est. Hinc eum Schragmullerus A. cIↃ IↃ c LX. & cIↃ IↃ c LXI. scripto non uno oppugnavit. Vidit hoc, & commissum agnovit errorem, ipse Arnoldus, in Supplementis, & Emendationibus.

§. XLII. *PAVLLVS RICHTERVS*, in pago Hohenturmensi, prope Halam, Antistes, fictis Catharinae Forsteriae revelationibus fidem habuit, easdemque, pro concione, tanquam divinas, & a Deo profectas, auditoribus suis, non sine multorum offensione, commendavit. Indignatus maximopere hos Paulli conatus est Augustus, & res iam in eo erat, ut officio suo exueretur. Publice virum Io. Olearius castigavit, peculiari scripto, cui titulus: *Treubertzige Warnung, für dem verführischen Geist der neuen Schwärmer.* Legitur haec dehortatio in Pantheo Fanat. P.I. p. 89 Idem & privatim fecit una cum Io. Andrea, nec non Gottfriedo, Olearii. Quorum monitis tandem locum dedit, formamque retractationis A. cIↃ IↃ c LXIX. composuit, formis exscribendam publicis, quo emendatio omnibus innotesce-

teſceret, quos antea ſermonibus ſuis offenderat. Hanc in appendicis locum ad dehortationem, antea commemoratam, publici iuris fecit Io. Olearius. vid. Panth. l. c. p. 107.

§. XLIII. *IO. SCHLEYER*, ex pago Riet Northuſano, praefecturae tunc Vinarienſis, Anabaptiſmum profeſſus eſt, & in ſeditione ruſticorum A. cIↃ IↃ XXV. oratorem egit. Erat quidem moribus non adeo pravis. Abſtinebat namque compotationibus & alea. uſuras improbabat. Vnde & factum, quod improba Clericorum quorundam offenſus vita, ſegreges cum aliis inſtituerit coetus, &, ad imitationem Donatiſtarum, a ſanctitate miniſtrorum, ipſius miniſterii valorem ſuſpenderit. Melanchthonis tamen induſtria ad meliorem rediit mentem, ſed diuturno carcere fatigatus. Cum a Melanchthone interrogaretur, quomodo homo illiteratus *multa Evangelicae doctrinae convenientia didiciſſet, & concionatus eſſet?* reſpondit, *ſe dudum a parentibus inſtructum fuiſſe, de ſalute hominum ex fide in Chriſtum conſequenda, & ſpernendis indulgentiis, aliisque traditionibus Pontificiis.* Ex quibus recte Seckendorffius infert, *ſemper in Eccleſia fuiſſe etiam inter plebeios, qui meliora fidei fundamenta haberent, quam vulgo docerentur.* Erat enim iam tum virili aetate, ut adeo talia ante ceptam a Luthero religionis emendationem audiviſſe eum oportuerit. Haec Seckendorffius L. III. H. L. in Ad. ad §. XLI. p. 115.

§. XLIV. *PETRVS SINKNECHTIVS*, Lubecenſis, urbis Hatterslebienſis Symmyſta, a Fanaticiſmo non fuit alienus. Etenim gradus Academicos contemnebat, lectionem librorum profanorum improbabat, inque proponendis ſanioris doctrinae capitibus, modis loquendi utebatur, Weigelio, & Weigelianis, familiaribus. Munere ſacro ſemetipſum abdicavit, forſan, ut maiori cum libertate ſuos propalare errores poſſet, quos aliquot ſcriptis, ſed ineditis, incruſtavit. Oppoſuit ſeſe eius Κακοφωνίαις. M. Io. Schroderus, ſed incaſſum labores ſuos impendit, donec ipſe Sinknechtius, morbo, ex quo deceſſit, implicitus, illas agnoſcere cepit. Deceſſit A. cIↃ IↃ c XXXV. Comp. Cel. Io. Molleri Iſag. in H. L. C. L. II. p. 189.

§. XLV. *MARTINVS STATIVS*, Gedani non modo ore, & ſcripto, Hermanni Rathmanni cauſam egit, ſed &, litibus

istis iam sopitis, in libro, quem *Thesauri* inscripsit nomine, & ex Praetorio passim compilavit, sententias, non unas, Weigelianismum sapientes, proposuit. Perfectionismum namque passim incrustare videbatur, & unionem hominis credentis cum Christo essentialem facere. Male haec habuere Ordinem Sacrum, qui tum diviniora oracula in illa urbe profitebatur. Neque enim ante cum Statio habere volebat aliquid commercii, quam retractationem sententiarum institueret. Conabatur quidem Martinus sua asserta *τῇ ὑποτυπώσει ὑγιαινόντων λόγων* conformiter interpretari, in *Resolutione*, quam nominabat, *censurae* A. cIↃ IↃ c XXXVII. editae. Sed cum videret, in eadem multa a Collegis desiderari, retractationem ingenue ore calamoque praestitit, quam adeo etiam suo sigillo, in maiorem rei fidem, obsignavit. Effectum est hoc inprimis opera & studio Abrahami Calovii. Nescio autem, quid causae habuerit Phil. Iacobus Spenerus, *in der Uebereinst.* P. I. Art. VI. §. XXX. cur de illa Statii retractatione dubitet. Eccur namque fides deneganda Calovio, qui T. X. Syst. p. 540. eandem commemorat? Vixit is illis temporibus Gedani, & Ordinis Ecclesiastici non infima fuit portio. Huic iungo Hartknochium, in H. E. P. L. III. c. VIII. §. X. p. 816.

§. XLVI. *IO. STEPHANVS*, medicamentario Gedani a servitiis erat. Hic lectioni Fanaticorum librorum nimium indulgens, in Fanaticismum tandem & ipse prolapsus est. Non modo igitur de immediatis gloriatus est revelationibus, sed & illam mente concepit opinionem, *se Deum & Christum esse, omniaque ex gratia habere, quae Christus ex natura habuit.* In more illi constitutum homines habent, loca subinde mutare, & in alias regiones secedere. Fecit id etiam Stephanus noster, qui, Gedano relicto, in Holsatiam abiit. Non tamen diu ibi substitit, sed non multo post Gedanum reversus est. Tum emendare iuvenem, erat namque annos modo natus XXIII. allaboravit Bucherus, *ὁ μακαρίτης*, cui animae commiserat curam. Ast tantum aberat, ut monitis rectioribus subscriberet, ut potius viro, de se bene merito, indignius insultaret. Convenere igitur auctoritate Senatus, nonnulli ex Theologis Gedanensibus, qui-

quibus ſeſe ſiſtere, & ſua exponere dubia, debuit. Auditus eſt magna cum patientia, cumque nihil haberet amplius, quod ad datas regerere poſſet reſponſiones, errorem ſuum abiecit, quem & publice revocavit, & deprecatus eſt. Formulam quæſtionum, ad quas publice reſpondere debuit, conſcripſit Venerandus Senex D. D. Sam. Schelgvigius, qui Iuuenis etiam meminit in Synopſi, Art. XXI. Quaeſt. II. p. 201 ſq.

§. XLVII. *ESAIAS STIEFELIVS*, Civis Salzenſis, in Thuringia, ſub initium ſuperioris ſaeculi, Fanaticorum erat coryphaeus. Ter ob errores in vincula coniectus, ſimulata ſemper Palinodia, in libertatem ſemet vindicare tentavit. Primum Salzae, iuſſu Senatus Eccleſiaſtici Lipſienſis, in cuſtodiam traditus eſt, cuius incommoda, quae per integrum iam expertus erat annum, cum ferre amplius haud poſſet, ſpem alicuius emendationis fecit. Poſtulabat vero Miniſterium, ut ſua ſubſcriptione ratam haberet Stiefelius, refutationem articulorum, quos Lipſiae profeſſus erat. Ambigua quidem, ut ſunt iſtiusmodi homines λόξιοι, explicatione expedire ſe conabatur, ſed claram, apertamque, confeſſionem detrectabat. Quod ipſe ſcribit Arnoldus P. III. C. IV. §. 13. p. 35. A quo tempore cum durius haberetur, nec ſpes eluctandi ex carcere ſupereſſet, in retractationem tandem conſenſit, cuius formulam M. Melchior Thileſius, iſtius civitatis Antiſtes ſummus, confecerat. Sed vix dimiſſus, cum tota familia Erfurtum abiit, antequam publicam, qua ſe obſtrinxerat, deprecationem praeſtaret. Proh levitatem! homine quocunque, nedum viro tantae ſanctitatis, indignam. Hanc tamen ita excuſavit, Stiefelium quidem ſubſcripſiſſe formulae, ab hominibus mendacibus factae, non autem Chriſtum, in Stiefelio habitantem, cui lex nulla data ſit. Acta huc pertinentia Chriſtianus edidit Thomaſius, P. I. Hiſt. Sap. & Stult. p. 140. & ex eodem Arnoldus l. c. Vterque vero ea modo ſegiſſe videtur, quae in Stiefelii commendationem faciunt, & Miniſterio ἀκρισίας & impietatis, conciliare notam poſſunt. Praeterlapſis aliquot annis, Ezechiel Meth novas dabat turbas, quibus Stiefelium implicitum eſſe, non vana erat ſuſpicio. Abductus igitur cum aliis Dresdam, inque carcerem coniectus, pro

more

more (*auff seine gewöhnliche Art*, inquit Arnoldus l. c. p. 43.) ex eodem se liberavit. Sic iterum falsa retractatione Magistratui imposuit. Erfurtum redux, in familiaritatem venit Erdmuthae Iulianae, foeminae illustrissimae, quae Comiti Gleichensi nupserat. Qua occasione Io. Weberus aliquot in eundem libros evulgavit. Sed & Erfurti suos disseminavit errores, multosque seduxit. Quibus malis ut mature occurreret Senatus, e re Ecclesiae, & civitatis, esse existimavit, si Stiefelium in custodias includeret. Promisit ille emendationem, inque literis, ad civem Erfurtensem A. cIↃ IↃ c XXV. d. XVI. April datis, professus est, se omnibus suis opinionibus renunciasse, & maximopere optare, ut scripta, hucdum edita, omni, qua fieri posset, cura, supprimerentur. Arnoldus auctor est, Stiefelium, qui decimo demum ab hac liberatione anno, obiit, in sua opinione perstitisse, eamque ob causam a Magistratu observatum, liberisque custodiis habitum esse. Haec est Fanaticorum fides, & pietas.

§. XLVIII. *ERHARDVS SIVER*, Coronaci in Franconia natus, A. cIↃ IↃ XXXIX. d. XIX. Octobr. Neostadii ad Orilam, Anabaptismum publice revocavit. Formulam, a Theologis Wittenbergensibus conscriptam, sed latinis verbis, exhibet Seckendorffius L. III. §. LXXV. in Annot. p. 244.

§. XLIX. *M. PHILIPPVS SIVMPFIVS*, Eberbacensis fuit, & literis, quae ad humanitatem pertinent, apprime deditus. Postquam vero Wittebergae Carolostadio familiariter uti cepit, non modo animo a literis alieniori factus, sed & ex errore in errorem mox prolapsus est; Audiamus ipsum Alberum, qui hunc hominem in Academia Moguntina commilitonem quondam habuit. Ita ille in libro, *wieder die verfluchte Lehre der Carolstäder* lit. S. p. ult. *Es hieſs einer M. Philippus Stumpff, von Eberbach, der war erwan mein guter Geſell in der Univerſität zu Meintz. Der kam gen Wittenberg, und laſe Quintilianum, denſelben ſeinen Menſchen führet der Teuffel auch zum Carlſtadt, von dem lernet er ſo viel, das er ſagt*, Ego valefeci Musis. *Darnach fiel er immer von einer Schwärmerey auff die ander, biſs er endlich dahin kam, daſs er ſagt, wer weiſs ob die H. Schrifft von GOtt ſey. Wenn man ihm aber antwortet und ſagt, Chriſtus weiſet uns allenthalben in die Schrifft, da ſprach er,*

wer

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348726430/42 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

wer weiſs, ob es auch war ſey, das ein Mann auff Erden geweſt, der Chriſtus gebeiſſen, und ſolches alles gethan habe, was man von ihm ſchreibt? Wie wenns ertichtet were? Es koſt auch Müh und Arbeit, das er wieder zurecht kam. Ich höre er ſey zu Coburg Chriſtlich geſtorben.

Hactenus *ALBERVS*, qui ipſe ſuo expertus erat exemplo, quam facile ſtudioſi, ſolida rerum Theologicarum ſcientia deſtituti, ad Fanaticorum poſſint pertrahi partes. Ipſe enim plus ſimplici vice, in libro, paullo ante laudato, confitetur, Caroloſtadii ſententias ſibi non diſplicuiſſe, Deoque grates perſolvit, quod meliora a Luthero edoctus, feliciter ex iſtis erroribus ſe ſe emerſerit. vid lit. Z. nec non Z. 4. Non poſſum, quin pluribus rem illam exemplis illuſtrem. In Academia Ienenſi A. cIↃ IↃ c XVI. quidam ſtudioſi a Stiefelianis, & Methiſtis ſeducti, turbas moverunt, quos tamen, per Dei gratiam, Profeſſorum pia diligentia ad meliorem mentem tandem reduxit. Auctor eſt Io. Gerhardus Loc. Theol. Tom. IX. de Conſum. Sec. §. 75. qui & capita errorum enumerat. Credo, ex horum numero fuiſſe Io. Raupium, cuius meminit Theobaldus, contra Anab. cap. IX. Finiam exemplo *AVG. PFEIFFERI*, viri de literis, quae ad orientem, & diſciplinam ſanctiorem, pertinent, immortaliter promeriti. Is iuvenis in urbe patria, Lauenburgum erat, Praeceptorem habuit Io. Cavenium, Chiliaſtis & Weigelianis nimium quantum addictum. Hinc factum, ut tenerrimus Pfeifferi animus iisdem opinionibus imbueretur. Solent, experientia teſte, tenaciter haerere, quae iſtis imbibimus annis. Id expertus eſt Pfeifferus, qui per plures annos liberare ſe ab erroribus iſtis non potuit. Sunt in manibus meis duae Epiſtolae, quarum unam A. cIↃ IↃ c LX. d. I. Octobr. alteram A. cIↃ IↃ c LXI. d. XV. Ian. ad Praeceptorem ſuum Witteberga dedit, ubi iam ſummos in Philoſophia honores conſecutus erat. Ambae concernunt Chiliaſmum. In prima de loco Danielis C. II. diſquirit, quam, variis ſub examen vocatis ſententiis, ita obſignat: *Interea fateor me certiſſime ex b. l. victum & conſtrictum credere, Chriſtum tale quid praeparaſſe ſuis, quale vero illud regnum ſit, nolim determinari.* In altera iudicium ſuum exponit, de loco Apocalyptico, nec non Dan. VII. Adſcribam quaedam verba, ex quibus clara, opinor,

erit sententia, quam de Chiliasmo tum habuit Pfeifferus. *Interim*, inquit, *recte demonstrat Tua Pl. Rev. Praecl. non esse fingendos Campos Elysios, oder ein Mahumedisches, oder Utopisches Schlarraffen-Land. Sed regnum Christi consistere in vera pietate & concordia, omnibus Tyrannis in malam rem actis - - Quod ad temporalia non quidem putemus, pios Cyclopice, & Pancratice victuros, iis tamen ad vitam hanc, (si opus esset) nihil commoditatis defuturum credimus. Maxima tamen voluptas erit Christi perpetuis sese recreare obtutibus.* Erunt, credo, hae literae non diversae ab iis, ex quibus Pfeifferum per Pfeifferum confutare Chiliastae voluerunt, nisi desisteret ab edendo Anti-Chiliasmo. Quas tamen minas parvi ille habuit, probe sciens, errare humanum esse, inprimis in ista aetate, quae iudicium, nondum maturum, praestat. Et ausim affirmare, nihil in literis deprehendi, quod non graviter in ipso Anti-Chiliasmo protritum sit. Et hanc emendationem in acceptis referre debebat Calovio, qui Statios, Neuvvaldos, Heldios, alios, ad meliorem mentem iam adduxerat. Ipse autem Pfeifferus, ab errore correctus, pro data occasione, suam a Chiliastis dissensionem significare non intermisit. vid. saltim Praefat. ad Anti-Chiliasmum.

§. L. *THOMAS TANTO*, Lubecensis, a Iacobo Taubio seductus, a communione publica secessit, & privatos cum aliis conventus, cum ministerii contemptu haud exiguo, habuit. Opposuit eidem Meno Hannekenius, nomine Ordinis Ecclesiastici, in urbe Lubecensi, tractatum, germanice scriptum, & recentiori aetate cum Praefatione A. Pfeifferi recusum: *Christliche Probe der neuen Schwärmerey, da etliche Manns und Weibes-Personen eigene kleine Zusammenkunfft halten.* Post quem solide etiam, pro more, Iustus Christoph. Schomerus de Collegiat. Disp. I. §. 20. sqq. ea omnia confutavit, quae pro separatismo suo Tantovius adduxit. Cum autem Hamburgi morbo conflictaretur, & morti sese vicinum iam esse intelligeret, M. Michaelem Oppenbuschium ad se invitavit, & suos ingenue errores confessus est. Ipsius Oppenbuschii, de hac Palinodia, narrationem exhibet I. F. Mayerus, *in geistl. Reden* p. 380.

§. LI. Huic mox iungimus *IACOBVM TAVBIVM*, Isselbur-

burgenſem, Arnheimenſis Eccleſiae Miniſtrum. Hic officio devolutus, Lubecam venit, & pertracto in ſocietatem Tantovio, ſeparatiſmum molitus eſt. Lubeca abire iuſſus, Altonaviam conceſſit, ibidemque in coetu Mennoniſtarum Oratoris aliquando vices ſuſtinuit. Hoc enim ſanctulis iſtis, qui ad indifferentiſmum nimis ſunt proclives, inſolens haud eſſe, ſuo pariter exemplo teſtatum fecit Chriſt. Hohburgius, a P.I.Spenero *Beati* quidem, & *pii*, affectus encomio, ſed rectius a D.D. Io. Franc. Buddeo indignus habitus, qui Lutheranis annumeretur. Sed qui Tantovio offendiculo fuerat, is occaſionem a Tantovio ſumſit reſurgendi. Audita namque eius Palinodia, animum, quem ſolidiſſima Lubecenſium ſcripta, iam ante, fregerant, in melius mutavit, ſuamque doctrinae confeſſionem, publico ſermone, Altonaviae edidit. Extat ille ſermo, hoc titulo inſcriptus, *Hertzens-Grund Iacobi Tauben*, &c. vid. Miniſt. Tripolit. P. I. *der Lehr und Schutz-Schrifft* in Praef. p. 21. nec non c.I. §. 40. p. 151. Arnoldum ſi audiamus P. III. c. XV. §. 7. p. 143. inopia, qua poſt contractas nuptias laborabat, adactus, hanc modo retractationem dedit, ut Lutheranos ſibi conciliaret. Qua in re iudicium committimus illi, qui Καρδιογνώστης eſt. Videtur tamen aliud facile nobis perſuadere conſtantia, quam ad mortem usque praeſtitit, etſi, quod ipſe fatetur Arnoldus, vitam in egeſtate degere debuerit.

§. LII. *PETRVS CHRISTIANVS a VRIMERSHEIM*, quem alii Friemersheim, aut Brymersheim, nominant, gente fuit Belga. Cepit is veritatem, a Megalandro Luthero reſtauratam, agnoſcere, eamque ob cauſſam ex patria fieri profugus debuit. Venit igitur Lubecam, & ibidem A. cIↃ IↃ XXVI. primus Evangelii doctrinam docuit. Anno cIↃ IↃ XXX. Antiſtes Iacobaeus conſtitutus eſt. Clam tamen cum Anabaptiſtis fecit, quorum erroribus una cum Io. Flaksbartio, Templi Cathedralis Antiſtite, Lubecam inficere voluit. Quod tum demum innotuit, cum Georg Wollenberus, A. cIↃ IↃ XXXV. Gvelferbyti tormentis ſubiiceretur. Is enim inter alia, & hoc confeſſus eſt, teſte Chronico Lubecenſi Kirchringiano p. 207. Ex quo idem commemorat, quem iam ſemel, ac iterum, pro merito, laudavimus Io. Mollerus, in Iſag. in H. L. C. P. IV. c. V.

p. 473. sq. Resipuit autem ab his erroribus, & rectius sentientium partibus sese addixit. Ex quo tempore animum prodidit, orthodoxiae Lutheranae amantissimum. Erenim A. clo Io LXI. nomine Ministerii Tripolitani, interceſſor fuit iudicati illius, quo in cauſſa Hardenbergeriana concluſerant Haberſtadii, ut ea ad Academias, ſed iam tum infectas, devolveretur, ſi per miniſterium Trip. illa componi non poſſet. Eodem anno ſubſcripſit pariter Cenſurae Theologorum Saxoniae inferioris, ſuper Praefatione Repetitae A. C. in Conventu Naumburgico confecta. A. clo Io LXVII. d. XX. Sept. Molnae conventum cum Theologis Hamburgenſibus, & Luneburgenſibus habuit, Notulamque, quam nominabant, Vnionis ſancivit. Qua de re vid. Sam. Pomarius, in Dedicat. Comment. in Epiſt. Iud. §. 25. 26. Mortuus tandem eſt A. clo Io LXXIV. d. IV. April. annum agens LXXX. Scriptum eſt in eius memoriam epitaphium, quod hodieque Lubecae, in templo S. Iacobi legitur:

Conditur hic, octo qui luſtra & quatuor annos
Integer, hacque vigil Paſtor in aede fuit
Primus, & intrepido divinum pectore verbum
Moenibus invexit, culta Lubeca, tuis
Vndique cum Latius mortalia pectora Praeſul
Multiplici luſit traditione, dolis.
Qui merito cepit fatalia nomina Petri,
Nam velut is Dominum pernegat ore ſuum,
Poſt tamen ad mentem meliorem venit, & almas,
Aethereo Chriſti gramine pavit oves:
Hic quoque ſic primis ſed falſo edoctus in annis
Pro vero docuit Numina ficta Deo:
Attamen ut ſancto Duce ſe praeeunte Luthero
Agnovit fraudes, Papa profane, tuas.
Invenitque aliam quae ducit ad aethera portam
Per ſolam & veram, quae patet una fidem.
Cum Petro vitae tunc lugens acta prioris
Innitens ſacrae firmiter usque Petrae,
Hac cura, his ſtudiis, tanto pietatis & aeſtu,
Promovit ſanctum relligionis opus,

Cae-

Caesaris ut iussu pelli genitalibus oris
Mallet, & exilii triste subire malum
Cedere, quam latum fidei de luce vel ungvem
Pastoris fungi nec satis officio.
Hac quoque difficiles dum vixit in urbe labores
Pugnans pro Christi plebe subinde tulit
Dum placide moritur curis exhaustus & annis
Dans animam coelo membra caduca solo.
Suffice tu similes ovium Pater Alme ministros!
Suffice! nempe furit trux ad ovile Satan.
Vt sincera tui carpentes pabula verbi,
Laudibus aeternum te celebremus, Amen.

§. LIII. *D. GERHARDVS WESTERBVRGIVS*, vulgo de Colonia appellatus, ex Caroloſtadii fuit affeclis. Vnde & Electoris mandato Iena iussus est exire. Sed spem emendationis faciens, & errores deprecatus, intercessore ap. Electorem Luthero, libertatem manendi obtinuit. Factum est, Anno cIↃ IↃ XXV. Seckendorf. L. II. in Add. ad §. IX. p. 28.

§. LIV. Agmen claudat *GEORGIVS ZIMMERMANNVS*, fidus Philippi Henrici Homagii Achates, illius inquam viri, qui se *morionem in regno chiliastico* appellare non est veritus. Ex quo socio iudicatu iam erit facillimum, quas ille sententias, & opiniones foverit. Praeter Chiliasmum enim, ut est ap. Ottium, in Annal. Anab. p. 243. iactabat immediatas revelationes, Iuuenes, fidei suae commissos, erat enim ludimoderator Marpurgensis, contemtu verbi divinioris, & auctorum profanorum, imbuebat, *loquimini*, inquiens, *vos Latine, utcunque potestis*, Theologos praeterea convitiis, dicteriisque, proscindebat. Quibus effecit, ut una cum Homagio in custodiam includeretur. Homagius in errore fuit pertinax, quem Zimmermannus agnovit, haud dubie, ut a poenis se praestaret immunem, quas Magistratui Homagius dabat. Rediit namque non multo post ad ingenium, suumque lapsum, ita loquebatur, lachrymis prosecutus est. Tenet habeo Annam Ovvenam Hoyeriam, Fanaticam in Holsatia foeminam, quae in Poem. p 242. ita:

Und Beyd (Homagius & Zimmermannus) *in carcerem geführet,*
So unbarmhertzig da tractirt.
Das der Zimmermann revocirt,

Die Straff wurd täglich immer ſtrenger,
Er konte ſie nicht leiden länger,
Und ſolche Plagen mehr ertragen,
Bat Gnad, und blieb ſo ungeſchlagen,
Wurd doch zum Lande ausgejagt,
Hat ſeinen Fall ſehr offt beklagt,
Ja auch mit Thränen bey dem Eſſen,
Da er an meinen Tiſch geſeſſen.

Iudicem autem huius levitatis expertus eſt Deum, ſiquidem, Ottio teſte, luctuoſa morte periit.

§. LV. Atque ſic, opinor, ſatis ſuperque de Fanaticorum conſtabit Palinodia. Plures potuiſſem commemorare, & in his Balth. Hubmeierum, Io. Gaſſerum, Facium Martpurgium, multosque alios. Sufficiant vero haec, quae adduximus, exempla, ex quibus unusquisque facile iudicaverit, qua ſint Fanatici indole. Animus erat obſervationes quasdam ſubiungere, quas tamen libenter aliorum ingenio relinquo, ne falcem videar in alienam meſſem immittere. Surgat, ſurgat tandem veritas, & de inimicis in poſterum triumphet. Reprimat ingenia fanatica, quae non bonis tantum literis, ſed ipſimet etiam religioni, interitum minitantur. Haec votorum debet eſſe ſumma, inprimis hac noſtra aetate, in qua a maleferiata horum hominum colluvie, tantum non opprimimur. Verbo. Videmur in iſta reſervati tempora, de quibus Lutherus, ut vates, dixit, in aureo Comment. in Ep. ad Gal. p. 341. *Vehementer miratur* (Paullus) *quod iam vere Deum cognoſcentes per Evangelium tam cito revertantur, ſeducti per Pſeudo-Apoſtolos, ad infirma & egena elementa. Vt & certe mihi mirum videretur, ſi noſtra Eccleſia, quae Dei gratia pulcherrime inſtituta eſt in pura & ſana doctrina & fide, una atque altera concione a FANATICO HOMINE quondam ſic ſubverteretur, ut me amplius doctorem ſuum agnoſcere non vellet. Id quod aliquando fiet, ſi non viventibus, tamen ſublatis nobis. Tunc enim multi volentes eſſe Magiſtri ſurgent, QVI PRAETEXTV PIETATIS perverſa docebunt, & brevi ſubvertent omnia, quae nos longo tempore, & maximo labore, aedificavimus.*

TANTVM.

Coll. diss. A. 29, misc. 60

Sächsische Landesbibliothek – Staats- und Universitätsbibliothek Dresden http://digital.slub-dresden.de/ppn348726430/48 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG